LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

UMBRICORUM

SPECIMEN PRIMUM.

SCRIPSIT

FRIDERICUS HENRICUS KAEMPF
PHILOSOPHIAE DOCTOR ATQUE ARTIUM MAGISTER.

BEROLINI,
APUD FERDINANDUM DUEMMLERUM.

MDCCCXXXIV.

100

ERNESTO TRAUG. KAEMPFIO

PATRI DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATA PIAQUE MENTE

OFFERT

AUCTOR.

Tristis est et miseranda populorum sors, quorum pristina magnitudo temporum iniquitate ita deleta est, ut vix pauca supersint vestigia, quae quales quantique olim fuerint docere queant. Haec enim summa ut cujusvis hominis, sic universarum gentium felicitas est, ut quae bene fortiterque gesserint posterorum celebratione vivant. Ista vero oblivio prae ceteris Italiae nationes obruit, quae ante Romanorum imperium floruerunt. Nam quae duplex caussa esse solet, cur gentium memoria apud posteros aboleatur, barbarorum irrumpens vastatio aut superba unius civitatis ambitio, quae inter vicinos imperio potita sua illis instituta, suos mores, suam denique, si fieri potest, linguam obtrudit, ea utraque in obliteranda pristinorum Italiae populorum memoria valuit. Sed perniciosius ei Romanorum imperium quam Gallorum irruptio fuit. Hi enim quamquam a Padi inde flumine ad inferiorem usque peninsulae partem [1]) late omnia vastaverunt, potentiam tamen, non memoriam populorum exstinxere, mox arctis finibus inclusi, quos quominus transgrederentur ipsorum lites prohibuerunt. Romani vero qua ratione imperium suum firmissime fundarunt, coloniis in victarum gentium fines mitten-

---

1) Ad Apuliam usque. Diodor. XIV, 117. Niebuhr Röm. Gesch. II. p. 612. (ed. noviss.)

dis et civitate quum subjectis hostibus tum fidelibus amicis danda, eadem effecerunt, ut Italiae nationes, Romani facti, Tusci et Umbri et Samnites et Campani esse desinerent. Ita factum est, ut vetus horum populorum historia, mox magis magisque oblivioni data, nobis paene omni ex parte ignota sit. Romani enim, quorum scriptoribus inter Italiae gentes solis contigit, ut quae scripsissent ad nostra tempora pervenirent, quaecunque ad Romam ipsam non pertinerent ita despiciebant, ut nihil fere de ceteris populis, nisi bello victos esse, referrent. Quae iis fuerit vitae privatae ratio, quae rei publicae constitutio atque disciplina, qui mores, quae instituta, vix casu fit, ut hic illic strictim attingant. Quae quum tanta sit eorum negligentia in referendis iis, quae ipsorum aetate manebant, quaeque ipsis oculis cernere poterant, quid mirum, quod multo minus ad antiquissimam Italiae gentium, quas quidem non ad ipsos Urbis conditores referrent, aetatem redierunt, earumque originem et inter se cognationem inquisiverunt. Qui vero id fecerant, eorum libros ad unum omnes ea secula deleverunt, quae sua posterorumque memoria indignum habuerunt, quodcunque non ad Romam ipsam pertineret. Catonis, qui de originibus populorum Italicorum sex libros ita composuit, ut si superessent plurimum inde commodi ad nos redundaturum esse certissimum sit, pauca fragmenta supersunt. Eadem sors evenit Claudio imperatori, qui quum viginti libris historiam Tyrrhenicam, Tuscis haud dubie ex fontibus haustam scripserit [2]), ceteras quoque Italiae gentes saepe commemoraverit necesse est.

---

2) Sueton. Tib. Claud. 42. Müller Etrusk. Vorerinnerung p. 7. Nieb. R. G. 1. p. 13.

Sic factum est, ut alta caligo veteres Italiae populos eaque tempora tegat, quae Romanorum imperium antecedunt, eo difficilior dissipatu, quod ne id quidem accurate novimus, qualis seriore aetate, qua omnis Italia uni Urbi parebat, ceterarum peninsulae gentium status fuerit; quem si melius perspectum haberemus, quodammodo certe, tamquam filum Ariadnes ad priora nos reduceret tempora, ut quae fuerit gentium inter se conjunctio, quae diversitas, quas primas tenuerint sedes, quae primaria earum fuerint instituta divinaremus. Sed quantacunque est earum rerum, quae si suppeditarent haec omnia nos docere possent, penuria, recentior tamen aetas suscepti difficultate non deterrita est, quin aliquam certe vetustissimorum Italiae populorum historiae lucem afferre conaretur. Quod si quaeritur, cur post tot saecula, quae non illos populos, sed paene ipsa eorum nomina deleverunt, nos in antiquissimam eorum historiam inquiramus, duplex caussa afferri potest. Praeterquam enim quod per se utile est atque jucundum cognoscere, quem quaevis gens inter hominum genera tenuerit locum, quae fuerit ejus destinatio, quid habuerit momenti ad totius historiae decursum: multo majora haec omnia et graviora cognitu sunt in iis populis, unde probabile est potentissimam orbis terrarum urbem ortam esse, cujus leges institutaque etiam hodie magnam terrae partem regunt. Diligenter igitur recentior aetas in antiquissimam Italiae historiam inquirere coepit, accurate quae veteres Romanorum Graecorumque scriptores, qui ad nos pervenerunt, casu saepius quam consilio ducti hic illic de iis, quae ante Romanos in Italia floruerunt, gentibus memorant, colligens, interdum ex altero etiam fonte hauriens, ex varii generis scilicet monumentis, quae ad hoc tempus servata sunt.

Quod si contingeret omnes interpretari inscriptiones a diversis Italiae gentibus diversis temporibus incisas, summum inde quin ad nostram rem commodum redundaturum esset dubitari nequit. Nam aliquot earum, ut tabulae Eugubinae Umbrorum, tabulae Bantiana et Abellana Oscorum, tanti sunt ambitus, ut quae iis continerentur si novissemus, per se ipsa magnam harum gentium historiae lucem afferrent. Tum vero omnes singulorum Italiae populorum linguas si comparare possemus, inde facillime, utrum unius familiae essent an diversarum, et qua propinquitate conjungerentur, perspiceremus. Sed maxima pars veterum Italiae inscriptionum, quae quidem non aut latinis aut graecis litteris exaratae sunt, interpretatione adhuc carent, semperque fortasse carebunt, nisi forte ludentem quandam divinationem hoc nomine vocare velis, qua Italiae maxime recentioris viri docti usi sunt. Hi enim omnium primi ad antiquam suae terrae historiam redierunt, summo cum studio in ea versati, sed interdum majori patriae caritate quam veritatis amore, aut certe sagacitate usi. — Quamquam autem nulla fere veteris Italiae major gens est, in cujus historiam nostra non inquisiverit aetas, summum tamen plerorumque studium in illustranda unius populi Tuscorum antiquitate versatum est. Neque profecto id mirum. Ut enim antiquitus Tusci artibus litterisque inter omnes peninsulae nationes haud dubie excellebant, ita hodie plurima eorum monumenta supersunt, quae denuo semper gentis memoriam redintegrantia majorem simul spem excitant, fore ut diligens atque accuratum eorum examen ad illustrandum ipsius populi, unde profecta sunt, historiam ducat. Accedit quod scriptores Romani Etruriae historiam institutaque saepius quam ceterarum memorant nationum. Ipsa enim

vicinitas ut bello paceque prius saepiusque congrederentur effecit, artium vero eximius apud Tuscos cultus, cui Romam primis temporibus clarissima opera, quae ne ea quidem aetas, qua Graecae artes Romae florebant, admirari desiit, debuisse admodum probabile est [3]), non potuit quin Romanorum oculos vel maxime in Etruriam converteret. Tertium denique et nescio an firmissimum, quod Romam Tuscosque conjunxit, vinculum religio erat. Nam quum ad prodigia portentaque explicanda riteque procuranda Etrusca disciplina opus esset [4]), Tuscique propterea haruspices saepissime Romam accirentur, sempiternum inde Romanorum Etruscorumque commercium ortum est. — Litterarum vero in Etruscis urbibus flos effecit, ut ante quam Graeca doctrina Romae floreret pueri Romani in Etruriam mitterentur educatum [5]).

His caussis factum est, ut nostris temporibus in Etruscorum antiquitatem summa cum diligentia inquireretur, quo nomine inter nostrates praeter Niebuhrium, historiae Italicae nostra memoria facile principem, Otfr. Müllerus praecipue memorandus est, qui et doctrina et sagacitate longe omnes, qui ante eum de his rebus scripsere, superavit. Minus adhuc Um-

---

3) Templum Capitolinum Liv. 1, 56. ejusque ornamenta. Quadriga fictilis in templi fastigio Etruscae originis erat. Plut. Public. 13. Festus s. v. Ratumena. Cf. Plin. H. N VIII, 65. Solin. 45, 15. Müll. Etr. IV, 3, 2. coll. IV, 1, 9. De cloacis vid. Müll. Etr. 1, 3, 5.

4) Cic. de harusp. resp. 9.: majores nostri portentorum explicationem Etrusca disciplina contineri putarunt. Cf. Liv. l. l.

5) Liv. IX, 36.: (M. Fabius) Caere educatus apud hospites Etruscis inde litteris eruditus erat, linguamque Etruscam probe norat. Habeo auctores, vulgo tum Romanos pueros, sicut nunc Graecis, ita Etruscis litteris erudiri solitos.

bris studium contigit, antiquissimo haud dubie et maximo quondam Italiae populo [6]), cujus historia propter ipsam antiquitatem difficilior est exploratu. Quo enim tempore Romanorum potentia Umbros attingebat, horum vires jam dudum, primo ab Etruscis deinde a Gallis ita fractae erant, ut haud multa essent, quae victoribus memoratu digna viderentur. Neque tamen ita de hac gente Romanorum Graecorumque auctores silent, quin si hos duces sequamur altam, qua adhuc tegitur, caliginem dispellere possimus. Quo tempore Romanorum scriptores Umbros eorumque historiam memorare incipiunt, hoc nomine gentem designant, quae non admodum latis finibus inclusa Apennino Tiberique ab Etruscis, Nare fluvio a Sabinis separabatur, ita tamen, ut aliquot Umbrorum oppida etiam cis Narem sita essent. Ad orientem versus Umbria a Picentibus attingebatur, septentrionalis pars Bojorum agro adjacebat. Sed nihil nisi tenues maximi olim Italiae populi reliquias arcti hi fines comprehendebant, cujus magnitudo superiorem mediamque Italiam amplexa erat, ut una Etruscorum gens, quum eas, quas postea tenebat, sedes occuparet, trecentas Umbrorum urbes expugnaret [7]). In superiore Italia ad Padi usque ripas Umbrorum aliquando potentiam patuisse multa vestigia demonstrant; sunt quae vel trans flumen nos perducere videantur. Nam Herodo-

---

6) Plin. H. N. III, 19.: Umbrorum gens antiquissima Italiae existimatur, ut quos Ombrios a Graecis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus superfuissent. Dion. Hal. 1, 15 (Sylb.). Cf. Nieb. R. G. 1. p. 161. Micali storia degli antichi popoli Italiani 1. p. 70.

7) Plin. H. N. III, 19.: trecenta (Umbrorum) oppida Tusci debellasse reperiuntur.

tus certe, qui diu Thuriis vixit, ut rerum Italicarum accuratam sibi cognitionem comparare potuerit, Umbros usque ad Alpes habitantes facit, Carpim et Alpim fluvios ex ea, quae supra Umbros sita sit, terra in Istrum effundi narrans [8]), unde id certe sequi videtur, majorem nullam, quae memoratu ei digna videretur, gentem trans hos intra Alpes ei notam fuisse. Cui testimonio si id tantum obstaret, quod quo tempore Herodotus agros trans Padum jacentes ab Umbris incoli statuit, vulgata, quae Livii auctoritate nititur [9]), sententia jam dudum Gallos ibi habitantes facit, non dubitaremus Herodotum sequi. Nam tam praeclare nuper Niebuhrius [10]) de ista Livii computatione temporis, quo Galli in Italiam transgressi sint, quid statuendum sit demonstravit, ut mihi quidem non amplius dubitari posse videatur, quin Galli non Tarquinio Prisco regnante, ut Livius auctor est, sed paullo ante quam Romam diruerent in Italiam transgressi sint. Huc enim consentiens omnium praeter Livium, qui ipse aliis locis sibi contradicit, scriptorum testimonium, huc argumenta ducunt, quae ex re ipsa hauriuntur et ex natura migrationum, quibus universae gentes ad novas sedes quaerendas proripiuntur. Hae enim non lente procedunt, sed rapidi in-

---

8) Herodot. IV, 49.: ἐκ δὲ τῆς κατύπερθε χώρης Ὀμβρικῶν Κάρπις ποταμὸς καὶ ἄλλος Ἄλπις ποταμὸς πρὸς βορῆν ῥέοντες ἄνεμον καὶ οὗτοι ἐκδιδοῦσιν ἐς αὐτόν (sc. Istrum.). Quo loco mirum est, quod Schweighaeuserus Alpis nomine Rhenum fluvium designari putat, errorem Herodoto, quum nulla res cogat, attribuens. In re admodum dubia si quid suspicari licet, Aenus potius Dravusque, qui certe in Istrum decurrunt, intelligendi videntur. Cf. Nieb. R. G. 1. p. 162. II. p. 575.

9) Liv. V, 34 sq.

10) Nieb. R. G. II. p. 574 sq.

star fluvii devolvuntur, ut prorsus incredibile sit, Gallos, si Tarquinio Prisco regnante circa Padum consedissent, duobus demum seculis post Apenninum transgressuros fuisse [11]).

---

11) Omnia, quibus Niebuhrius sententiam suam comprobavit, argumenta hic repetere supersedeo; id mihi liceat, de uno loco, qui ad refutandam eam allatus est, quid statuendum sit quaerere. Dionysius Halic. in enarranda Malaci, Cumarum tyranni, historia (VII, 3. p. 418. 419.) haec habet verba: ἐπὶ τῆς ἑξηκοστῆς καὶ τετάρτης Ὀλυμπιάδος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Μιλτιάδου, Κύμην τὴν ἐν Ὀπικοῖς Ἑλληνίδα πόλιν, ἣν Ἐρετριεῖς τε καὶ Χαλκιδεῖς ἔκτισαν, Τυῤῥηνῶν τε οἱ περὶ τὸν Ἰόνιον κόλπον κατοικοῦντες ἐκεῖθεν δ' ὑπὸ τῶν Κελτῶν ἐξελαθέντες σὺν χρόνῳ, καὶ σὺν αὐτοῖς Ὀμβρικοί τε καὶ Δαύνιοι καὶ συχνοὶ τῶν ἄλλων βαρβάρων ἐπεχείρησαν ἀνελεῖν etc. Quo loco primum Lachmannus in egregio de fontibus Livii libro (p. 22.), deinde Otfr. Müller (Etrusc. 1. p. 153.) usi sunt, ut Dionysium certe cum Livio consentire ostenderent, quum Ol. 64. in Tarquinii regnum incidat. Nimirum Dionysii verba ita interpretati sunt, ut Tuscos a Gallis expulsos Cumas oppugnasse intelligerent. Sed etiamsi alterum Dionysii locum non haberemus (in fragmentis, quae Majus primum edidit p. 39.), qui hunc quoque rerum scriptorem in eorum numero fuisse docet, qui Gallos ad Clusium oppugnandum ab Arunte trans Alpes arcessitos esse existimarent, ipsa quae supra scripsimus verba Dionysium a Livio dissentire comprobarent. Τυῤῥηνοὶ enim οἱ περὶ τὸν Ἰόνιον κόλπον κατοικοῦντες ἐκεῖθεν δ' ὑπὸ τῶν Κελτῶν ἐξελαθέντες σὺν χρόνῳ non possunt esse nisi ii Etrusci, qui eo ipso tempore, de quo agitur, h. e. Ol. 64, circa mare Jonicum incolebant, postea autem a Gallis expulsi sunt. Id participium κατοικοῦντες, id verba σὺν χρόνῳ demonstrant. Ut enim participium praesentis, si cum particulis aut praeteritum aut futurum tempus indicantibus conjunxeris (ut ὁ πρὶν ὤν, ὅ ποτε δοκῶν), praeteritum aut futurum tempus indicare potest, ita si per se solum omissis istis particulis ponitur, nihil exprimit nisi id, quod vel eo tempore, quo scribis aut loqueris, vel eo, quo quae referuntur gesta sunt, praesens fuit. Quod si ad nostra verba referas, Τυῤῥηνῶν οἱ περὶ τὸν Ἰόνιον κόλπον κατοικοῦντες aut ii sunt, qui Dio-

Sed obsistit Herodoto alia res. Constat enim ante Gallorum adventum late trans Padum patuisse Etruscorum potentiam, omnia praeter Venetorum angulum loca amplexam, ut Livius testis est [12]), urbesque eorum per omnem inde a Ticino flumine [13]) usque ad mare superum terrae tractum dispersae erant. Melpum, Tuscae haud dubie originis, quae urbs ab Insubribus, Bojis et Senonibns eo demum die deleta est, quo Camillus Vejos cepit [14]) in Insubrium terra

---

nysii temporibus, aut ii, qui Ol. 64 superi maris littora circumcolebant. De Dionysii aetate non cogitandum esse res ipsa docet, itaque Ol. 64 intelligi perspicuum est. Quo tempore ex Dionysii certe sententia Etruscos nondum a Gallis supero mari pulsos fuisse nisi ipse participii usus ostenderet, docerent verba σὺν χρόνῳ. Quae quum significent *aliquanto post*, opus est, si in oratione iis uti velis, adsit aliquid, post quod alia res gesta sit; aliter enim non habent quo referantur. Jam in Dionysii verbis, ut totius sententiae nexus ostendit, nihil est, post quod factum Tusci a Gallis expulsi esse dici potuerint, nisi ipsa Cumarum oppugnatio, quae totius loci summa est. Post hanc igitur aliquanto expulsi esse dicuntur, ut etiam Dionysius cum reliquis scriptoribus consentiat.

12) Liv. V, 33.: Tuscorum ante Romanum imperium late terra marique opes patuere. Mari supero inferoque, quibus Italia insulae modo cingitur, quantum potuerint nomina sunt argumento; quod alterum Tuscum communi vocabulo gentis, alterum Hadriaticum mare ab Hadria Tuscorum colonia vocavere Italicae gentes. — Ii in utrumque mare vergentes incoluere urbibus duodenis terras: prius cis Apenninum ad inferum mare, postea trans Apenninum, totidem quot capita originis erant coloniis missis, quae trans Padum omnia loca excepto Venetorum angulo, qui sinum circumcolunt maris, usque ad Alpes tenuere.

13) Nieb. R. G. 1. p. 130.

14) Plin. H. N. III, 21.: Melpum opulentia praecipuum ab Insubribus et Bojis et Senonibus deletum esse eo die, quo Camillus Vejos ceperit, Nepos Cornelius tradidit.

haud procul Ticino situm fuerit necesse est, quum Insubres, qui expugnationis participes dicuntur, ejus tractus, qui ipsorum nomen tulit, fines ad orientem versus superasse nulla re comprobari possit. Mantuam Verrius Flaccus atque Caecina, Tuscae antiquitatis peritissimi [15]), a Tarchonte ipso, quum Apenninum transgressus esset, primam omnium circa Padum urbium conditam esse scribunt [16]), alii paullo certe post Tuscorum adventum exstructam volunt. Ipsoque situ tuta haec urbs omni Gallorum impetui restitit, ut etiam seriore aetate vere Tusca esset [17]). Haud procul autem a supero mari ad Tartari fluvii ripas Atria sita fuit, Tusca urbs, quae universo mari nomen dedit [18]). Has tres urbes admodum verisimile est ex numero duodecim urbium fuisse, quae foedere inter se ex antiquo populi more junctae Tuscae omni trans

---

15) Müll. Etr. 1. p. 7. Nieb. R. G. 1. p. 14.

16) Vid. Interpretes Virgilii, quos ex cod. palimpsesto Veronensi Angel. Majus edidit Mediolani 1818, una cum Philone Judaeo, ad Aen. X, 198: Flaccus Etruscarum 1: In Apenninum, inquit, transgressus Archon (l. Tarchon) Mantuam condidit. Item Caecina: Archon, inquit, cum exercitu Apenninum transgressus primum oppidum constituit, quod tum Mantuam nominavit, vocatumque Tusca lingua a Dite patre est nomen. Deinde undecim dedicavit Diti patri. Cf. Serv. ad h. l.

17) Plin. H. N. III, 23.: Mantua Tuscorum trans Padum sola reliqua, cf. Müll. Etr. 1, 138.

18) Plin. H. N. III, 20.: omnia ea flumina fossasque primi a Sagi fecere Tusci egesto amnis impetu per transversum in Atrianorum paludes, quae septem maria appellantur, nobili portu oppidi Tuscorum Atriae, a quo Atriaticum mare ante appellabatur, quod nunc Adriaticum. Strab. V. p. 214.: τὴν δ' Ἀτρίαν ἐπιφανῆ γενέσθαι πόλιν φασίν, ἀφ' ἧς καὶ τοὔνομα τῷ κόλπῳ γενέσθαι τῷ Ἀδρίᾳ, μικρὰν μετάθεσιν λαβόν. Varro de L. L. V, 33. p. 45. ed. Bipont: Atrium appellatum ab Atriatibus Tuscis; illinc enim exemplum sumptum.

Apenninum terrae imperabant [19]). De ceteris, quae hujus imperii participes fuerint, certius nihil licet suspicari, si Felsinam exceperis cis Padum sitam, quam Etruriae principem Plinius dicit [20]). Sed probabile est, aliquot certe earum praeter has, quas modo diximus, trans Padum conditas fuisse, minorumque oppidorum haud mediocrem numerum in locis transpadanis ab Etruscis habitatum fuisse pro certo affirmare licet.

Ita de Livii testimonio, trans Padum omnia Tuscorum fuisse, dubitari nequit, quum ejus gentis oppida a Ticino usque ad mare dispersa videamus. Et Etruscos inde, non Umbros, Galli quum in Italiam transgressi essent expulere [21]). Belloveso cum Biturigibus et qui in horum clientela erant [22]) Arvernis, Senonibus [23]), Aeduis, Ambarris, Carnutibus, Auler-

---

19) Nieb. R. G. I. p. 131. Müll. Etr. I. p. 136.

20) Plin. H. N. III, 20.: Bononia Felsina vocitata, quum princeps Etruriae esset.

21) Liv. V, 34 sq. cf. Polyb. II, 17.: οἷς (sc. Tuscis) ἐπιμιγνύμενοι κατὰ τὴν παράθεσιν Κελτοί, καὶ περὶ τὸ κάλλος τῆς χώρας ὀφθαλμιάσαντες, ἐκ μικρᾶς προφάσεως μεγάλῃ στρατιᾷ παραδόξως ἐπελθόντες ἐξέβαλον ἐκ τῆς περὶ τὸν Πάδον χώρας Τυῤῥηνοὺς καὶ κατέσχον αὐτοὶ τὰ πεδία.

22) Müll. Etr. Einl. 3, 8. p. 154.

23) Fuerunt qui in eo offenderent, quod Livius jam primae hujus in Italiam expeditionis Senones participes fecerit, quos ipse omnium Gallorum ultimos Alpes transgressos esse paullo post referat. Itaque Sigonius Santones legendum proposuit. Hi vero in ipso littore Oceani, sedibus a ceteris, qui Bellovesum in Italiam sequebantur, populis ita disjunctis habitabant (cf. Mannert Geogr. der Gr. und Röm. II. p. 110), ut una cum his profectos esse parum verisimile sit. Otfr. Müller in Etr. Einl. p. 148. aliquo certe modo Senonum nomen h. l. mutandum censet. Equidem non video, quidni aliqua Senonum pars jam

eis ad Ticinum amnem Tusci obviam fuerunt, quibus fusis Mediolanum aedificarunt et qui circumjacebant agros incoluerunt [24]). Cenomani quoque non dubium est, quin ex regionibus Brixiae atque Veronae vicinis, in quibus consederunt, Tuscos ejecerint [25]). Umbros certe ibi non invenerunt, quibuscum Bojos demum, quum Padum trajecissent, quod trans flumen omnia jam a Gallis tenerentur, congressos esse Livius testatur [26]).

Quo igitur tempore Galli in Italiam transcenderunt, Etruscos terrae trans Padum incolas vidimus. Id quaeritur utrum cum Herodoti, qui Umbros ibi habitantes facit, testimonio ex temporum ratione componi queat. Melpum eo die a Gallis deletum refertur, quo Camillus Vejos ceperit, h. e. a. U. 358. Non multo prius illos in Italiam transgressos esse inde verisimile fit, quod Bojos Senonesque, quum populares in capienda hostili urbe adjuvarent, seriores suas sedes nondum occupasse perspicuum est [27]). Itaque

---

ante cum Belloveso migrare potuerit, quam cetera omnis gens novas in Italia sedes quaereret, si verum est, quod Livius statuit, complures expeditiones fuisse, quamquam tempore non ita disjunctae fuisse possunt, ut ille refert. Habitabant enim prope Parisios in ea Galliae parte, ad quam Biturigum principatus vel maxime pertinebat. cf. Mannert Geogr. II, p. 150.

24) Liv. V, 34.

25) cf. infra not. 80.

26) Liv. V, 35.

27) Obiter moneo, ne quis hoc quoque Plinii testimonium, Bojos cum Senonibus eodem tempore in Insubrium terra versatos esse, Livio repugnare existimet, qui Senones, ut recentissimos advenarum, post Bojos Italiam ingressos referat. Bojos enim aliquamdiu cum Insubribus habitasse ante quam Padum trajicerent, haud improbabile est, quum Laudem Pompejam in horum terra condidisse dicantur (Plin. H. N. III, 21).

si ponimus, Gallos circa annum U. C. 354, quadringentis fere ante Chr. nat. annis Alpes transcendisse, a vero non multum aberrabimus. Herodotus autem a U. C. 310 cum colonia Athenis deducta Thurios venit, ibique multos annos vixit. Ad quod tempus si refers, quae de Umbris locorum subalpinorum incolis narrat, errasse eum exploratum est. Nam quum circ. annum 354 Gallis adventantibus omnis trans Padum terra in Tuscorum potestate esset, quorum urbes a Ticino usque ad ipsa maris littora dispersae divitiis ac potentia excellebant, ut jam dudum conditas fuisse appareret, nullo modo fieri potuit, ut quadraginta annis ante Umbri in iisdem locis ita praevalerent, ut ab his, non a Tuscis, regio designaretur. Herodotum igitur non possumus, quin terrae transpadanae prorsus ignarum fateamur, quamquam id mirum in tam accurato rerum investigatore, qui diu in Italia ipsa degerit. Forte inde aliquis veritatem eorum, quae de Umbrorum usque ad Alpes sedibus refert, defenderit, quod historicus de locis ipsi ignotis vetustos nuncios secutus sit, qui longe antiquiorem eorum statum descripserint. Cui sententiae equidem ita accedam, si aliunde verisimile sit, Umbros olim etiam trans Padum habitasse. In quam rem quod afferri posse videtur certe dubium est atque incertum. Nam Plinius [28]) inter ipsius Umbriae urbes, quae suo tempore non amplius exstiterint, Acerras memorat cognomine Vatrias. Hoc vero nomen etiam trans Padum reperitur, oppido inditum, quod inter Laudem Pompejam Cremonamque situm fuisse videtur [29]). Memoratur

---

28) Plin. H. N. III, 19.

29) Cluver. Ital. ant. 1. p. 244.

Plutarcho, qui trans Padum, et Polybio, qui inter Alpes Padumque jacuisse refert [30]). Accuratius quo loco haec urbs posita fuerit itinerarium Antonini docet [31]), ex quo recte colligitur, esse vicum, qui etiam nunc Gherra vocatur, in ipsa Adduae fluminis ripa situm. Sed quamvis grave gentium inter se cognationis testimonium sint eadem diversis regionibus reperta locorum nomina, quum infantia maxime populorum caram dilectae patriae, quam reliquerunt, memoriam ad novas sedes transferre soleat: cavendum tamen, ne ex unius alteriusve nominis congruentia aliis argumentis destituta id colligas, quod multorum demum consensio probare poterat. — Nec plus equidem Lyco-

---

30) Plut. Claud. Marcell. 6: οἱ Γησάται τὰς Ἄλπεις ὑπερβαλόντες καὶ τοὺς Ἰσόμβρους ἐπάραντες εὐθὺς ἐπ' Ἀκέῤῥας ὥρμησαν, πόλιν ὑπὲρ ποταμοῦ Πάδου ἀνῳκισμένην. Polyb. II, 34: οἱ δὲ τῶν Ῥωμαίων στρατηγοὶ τῆς ὥρας ἐπιγενομένης ἀναλαβόντες τὰς δυνάμεις ἦγον εἰς τὴν τῶν Ἰσόμβρων χώραν. Παραγενόμενοι δὲ καὶ στρατοπεδεύσαντες περὶ πόλιν Ἀκέῤῥας, ἣ μεταξὺ κεῖται τοῦ Πάδου καὶ τῶν Ἀλπεινῶν ὀρῶν, ἐπολιόρκουν ταύτην. Cf. Stephan. s. v. Ἀκέῤῥαι, qui Polybium sequitur. — Aliam urbem memorat Strab. V, p. 216, sive Ἀκέραι ibi sive Ἄκαρα legendum est, quae in via Aemilia inter Ariminum et Placentiam aut Cremonam sita sit. Quam Mannert Geogr. der Gr. und Röm. IX, 1. p. 170 eandem esse existimat, quam inter deletas suo tempore Umbriae urbes Plinius recenset. Is vero quum nonnisi de ea Umbria loquatur, quae sextam Italiae regionem efficiens usque ad Ariminum pergebat, de illo oppido cogitare non poterat.

31) Itinerar. Antonini:

Mediolanum
Laude Pompeja
Acerras
Cremona

phronis verbis [32]) tribuerim, qui Tyrrhenos ex Lydia profectos Pisam omnemque terram Umbris Alpibusque vicinam occupaturos refert; unde Niebuhrius huncce poetam Umbros antiquissimis temporibus usque ad Alpes habitantes facere colligit [33]). Sed ut totum carmen, ita hic locus nimis obscurus est, quam ex quo certi quidquam colligere liceat.

Historicis igitur testimoniis Umbrorum potentiam trans Padum aliquando patuisse comprobari nequit, ut fatendum sit, si quando ibi habitaverint, prius certe expulsos esse, quam ullam historia lucem istis terris attulerit. Iis temporibus, quorum ad nos aliqua notitia pervenit, Padus Umbrici nominis finis fuit.

Sed priusquam inter Padum Apenninumque magnae olim gentis reliquias quaeramus, liceat ad inferum mare cis Apenninum sedes eorum contemplari. Constans enim inter veteres sententia fuit, olim non Tiberim Umbrorum finem fuisse, sed id mare, quod ab Umbricae magnitudinis heredibus Tyrrhenum postea appellatum est, Etruriamque ante Tuscorum occupationem Umbrorum fuisse. Qui Tuscos Lydicae originis esse existimant, in eo omnes consentiunt, ut in Umbricam terram eos venientes faciant [34]). — Dionysius,

---

32) Lycophr. Cass. v. 1359 sq:
εἶλον δὲ Πίσσαν, καὶ δορύκτητον χθόνα
πᾶσαν κατειργάσαντο τὴν Ὀμβρων πέλας
καὶ Σαλπίων βεβῶσαν ὀχθηρῶν πάγων.
cf. Müll. Etr. Einl. 2, 13. p. 109. Anm. 97.

33) Nieb. R. G. 1. p. 128.

34) Cf. exempli gr. Scymn. Chius 219:
Τυῤῥηνίαν δ' ὁ Λυδὸς Ἄτυος ἔκτισεν
Τυῤῥηνός, ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικοὺς ἐλθών ποτε.
Herod. 1, 94: λαχόντας δὲ αὐτῶν (Λυδῶν) τοὺς ἑτέρους ἐξιέναι ἐκ τῆς χώρης, καὶ καταβῆναι ἐς Σμύρνην, καὶ μηχανήσασθαι

Hellanici maxime Phoronidem secutus, Pelasgos refert Thessalia pulsos ad Spineticum Padi ostium applicuisse, ibique Spinam urbem condidisse. Deinde aliquam eorum partem Apennino superato inter Umbros prope Aborigines consedisse, et cum hisce conjunctos non Cortonam solum Umbris, sed Siculis etiam multa ad inferum mare oppida eripuisse [35]). — Siciliae incolas ex Italia immigrasse inter veteres convenit, sed fluctuabat, cujus gentis fuerint, sententia [36]). Philistus Syracusanus, rerum scriptor satis antiquus [37]), neque Siculos, neque Ausones, neque Elymos esse statuebat, sed Ligures ab Umbris atque Pelasgis pulsos [38]). Unde pulsi fuerint non addit, sed dubitari nequit, quin Etruriam in mente habuerit, quam infra ostendemus a Liguribus aliquando incultam fuisse; in

---

πλοῖα, ἐς τὰ ἐσθεμένους τὰ πάντα ὅσα σφι ἦν χρηστὰ ἐπίπλοα, ἀποπλέειν κατὰ βίου τε καὶ γῆς ζήτησιν· ἐς ὃ ἔθνεα πολλὰ παραμειψαμένους ἀπικέσθαι ἐς Ὀμβρικούς· ἔνθα σφεὰς ἐνιδρύσασθαι πόλιας, καὶ οἰκέειν τὸ μέχρι τοῦδε· ἀντὶ δὲ Λυδῶν μετονομασθῆναι αὐτοὺς ἐπὶ τοῦ βασιλέως τοῦ παιδός, ὅς σφεας ἀνήγαγε· ἐπὶ τούτου τὴν ἐπωνυμίην ποιευμένους ὀνομασθῆναι Τυρσηνούς.

35) Dion. Hal. 1, p. 15: οἱ δὲ (sc. τῶν Πελασγῶν) διὰ τῆς μεσογείου τραπόμενοι, τὴν ὀρεινὴν τῆς Ἰταλίας ὑπερβαλόντες, εἰς τὴν Ὀμβρικῶν ἀφικνοῦνται χώραν. 1, p. 22: ἔχει δὲ Ἑλλανίκῳ τῷ Λεσβίῳ ἐν Φορωνίδι ὁ λόγος ὧδε· ἐπὶ Νάνου βασιλεύοντος οἱ Πελασγοὶ ὑφ' Ἑλλήνων ἀνέστησαν, καὶ ἐπὶ Σπινῆτι ποταμῷ ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ τὰς νῆας καταλιπόντες Κρότωνα πόλιν ἐν μεσογείῳ εἷλον. Cf. Plin. H. N. III, 8: Umbros Etruria exegere antiquitus Pelasgi, hos Lydi etc.

36) Dion. Hal. 1, p. 17. 18.

37) Mortuus est a. U. 396.

38) Philist. ap. Dion. Hal. 1, p. 18: ὡς δὲ Φίλιστος ὁ Συρακούσιος ἔγραψεν — ἔθνος τὸ διακομισθὲν ἐξ Ἰταλίας οὔτε Σικελῶν, οὔτε Αὐσόνων, οὔτ' Ἐλύμων, ἀλλὰ Λιγύων (ἦν),

sola enim Etruria ex usitata Graecis de Pelasgorum in Italiam migrationibus sententia Umbri cum Pelasgis sic una habitarunt, ut Ligures expellere possent; Liguriam, quae postea vocabatur, ipsam Pelasgos incoluisse nemo statuit [39]).

Quae scriptorum de Umbris Etruriae olim incolis testimonia si cui non sufficiunt, multa ejus gentis in Etruria vestigia supersunt, etiam seriore tempore servata. Mediam Umbriam Umbro fluvius, qui hodie quoque Ombrone dicitur, secabat, adjunctam habens regionem, quae Umbria dicebatur [40]). Clusium Livius testis est olim *Camars* vocatum esse [41]), quod nomen in nummis servatum est, in quibus KA aut KAM legitur [42]), et Polybius Clusinum agrum Καμαρτίων χώραν nominat [43]), ut Umbros hic habitasse non

---

ἄγοντος αὐτοὺς Σικελοῦ· τοῦτον δὲ εἶναί φησιν υἱὸν Ἰταλοῦ, καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἐπὶ τούτου δυνάστεύοντος ὀνομασθῆναι Σικελούς· ἐξαναστῆναι δὲ ἐκ τῆς ἑαυτῶν τοὺς Λίγυας ὑπό τε Ὀμβρικῶν καὶ Πελασγῶν.

39) Pisas, quae ante Augustum in finibus Etruriae Liguriaeque sitae erant (cf. Müll. Etr. Einl. 2, 13. p. 105 sq.), incerta fama a Graecis conditas ferebat. Serv. ad Virg. Aen. X, 179. Plin. H. N. III, 8, Müll, Etr. IV, p, 275. Sed cf. Lycophr. Cass. v. 1241. 1356, qui Etruscos refert Pisas Liguribus eripuisse, et Caton. in Origg. ap. Serv. ad Virg. Aen. X, 179. — Longius ad septentrionem versus, quam Pisis, Pelasgos habitasse nullum ne in fabulis quidem vestigium est.

40) Plin. H. N. III, 8: mox Umbro navigiorum capax, et ab eo tractus Umbriae. Cf. Stephan. s. v. Ὀμβρικοί.

41) Liv. X, 25: Vere inde primo relicta secunda legione ad Clusium, quod Camars olim appellabant, — Romam inde ad consultandum de bello rediit.

42) Müll. Etr. Beil. zu 1, 4. p. 332.

43) Polyb. II, 19: μετὰ δὲ ταῦτα πάλιν ἔτει τετάρτῳ συμφρονήσαντες ἅμα Σαυνῖται καὶ Γαλάται παρετάξαντο Ρωμαίοις

possis non agnoscere, quos Camerinum [44]) in Piceni finibus incolentes videamus. Nec Tusci demum urbis nomen mutasse videntur, sed Umbros jam alteram ei appellationem indidisse credibile est, quum in ipsa Umbria eodem nomine, quo Camars postea vocatum est, oppidum trans Interamnam situm Clusiolum vocaverint [45]), tanquam parvam urbis effigiem, unde a Tuscis expulsi fuerant. — Cortonam Umbris a Pelasgis Spinae conditoribus ereptam esse Dionysius, Hellanicum secutus, testatur [46]). — Servius Mantuam a Sarsinatibus Umbris, qui Perusiae consedissent, incolas accepisse refert [47]); nec immerito Otfr. Müller familiam Plautorum, quam inscriptiones Perusinae memorant, ad Sarsinates primos urbis incolas revocare videtur [48]), quum Plautum, poetam comicum, Sarsina ortum esse constet. — Ptolemaeus inter Senam Cosamque Οὐόλκους memorat, quam urbem Stephanus Ὄλκιον vocat, et Plinius Cosae Volcientium mentio-

---

ἐν τῇ Καμερτίων χώρᾳ, καὶ πολλοὺς αὐτῶν ἐν τῷ κινδύνῳ διέφθειραν. coll. Liv. X, 26.

44) Graeci Καμαρῖνον vocant. Cf. Cluver Ital. ant. p. 613. Otfr. Müll. Etr. Einl. 2, 12. p. 102. 103. cum not. 76.

45) Plin. H. N. III, 19: In hoc situ interiere Feliginates, et qui Clusiolum tenuere super Interamnam.

46) Vid. supra not. 35. cf. Dion. Hal. 1, p. 16: ἔπειτα μοῖρά τις αὐτῶν οὐκ ἐλαχίστη, ὡς ἡ γῆ πᾶσιν οὐκ ἀπέχρη, πείσαντες τοὺς Ἀβοριγῖνας συνάραφθαί σφισι τῆς διεξόδου, στρατεύουσιν ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικοὺς καὶ πόλιν αὐτῶν εὐδαίμονα καὶ μεγάλην ἄφνω προσπεσόντες αἱροῦσι Κρότωνα.

47) Serv. ad Virg. Aen. X, 201.

48) Otfr. Müll. Etr. Beilage zu lib. II, p. 426. — De Umbrorum Sarsina, quae eodem nomine hodie quoque vocatur, inter Apennini montes ad Sapis (Savio) fluvii ripas sita cf. Cluv. Ital. ant. p. 622 sq. — De Plauto Sarsinate vid. Festus s. v. Ploti.

nem facit, qui in Fastis triumphalibus Vulcientes appellantur [49]). Hujus gentis Niebuhrius propinquitatem statuit cum Volcentibus iis, quos Livius bello Punico secundo a. U. 545 una cum Hernicis Lucanisque ad Romanos defecisse narrat [50]). Sed quum Etruscos ipsos in Lucania coloniam habuisse parum credibile sit, utramque urbem ad eam gentem revocandam censet, quae antiquissimis temporibus per universam inferi maris oram usque in Etruriam habitaverit, Siculos scilicet [51]). Equidem si quae inter Etruriae Lucaniaeque Volcentes cognatio statuenda est, quam admodum dubiam esse confiteor, majori certe jure ad Umbros eam quam ad Siculos referri putaverim. Horum enim sedes trans Tiberim ad ea usque loca unquam patuisse, ubi medii fere inter Arnum Tiberimque Volcientes habitaverint necesse est, nemo dum demonstravit, nec, credo, cum aliqua veri specie demonstrabit. Sabellos vero, quos arctissima cum Umbris propinquitate conjunctos fuisse infra videbimus, non Samnium modo Campaniamque, sed etiam cum Lucania Apuliam Bruttiorumque terram occupasse constat. — Plinius inter Etruriae gentes Sudertanos nominat, tamquam ab urbe Suderto, eosdemque Livius quoque memorat, ut prodigium Romam nunciatum esse narrans, in foro Su-

---

49) Stephanus s. v. Ὄλκιον· πόλις Τυῤῥηνίας· Πολύβιος ἕκτῳ· τὸ ἐθνικὸν Ὀλκιῆται καὶ Ὀλκιεῖς. Plin. H. N. III, 8: Cosa Volcientium a populo Romano deducta.

50) Liv. XXVII, 15: iisdem fere diebus et ad Q. Fulvium consulem Hirpini et Lucani et Volcentes, traditis praesidiis Hannibalis, quae in urbibus habebant, dediderunt sese. — De situ urbis Volcentium vid. Mannert Geogr. der Gr. u. Röm. IX, 2, p. 140.

51) Nieb. R. G. 1, p. 134.

dertano sanguinis rivos per totum diem fluxisse [52]). Quod oppidum in qua Etruriae parte situm fuerit non satis constat [53]), sed admodum certe verisimile est, idem esse, quod Ptolemaeus Σούδερνον vocat, ac in Saturniae Tuscaniaeque vicinia ponit [54]). Ubicunque autem jacuit, nomen idem esse, quo clara inter Umbros urbs Tuder vocabatur, perspicuum est. Nota enim litterarum *t* et *s* perpetua inter se alternatio, cujus ut unum exemplum afferam ex ipsa Umbrorum antiquitate petitum, Sarsinates, quae constans inter scriptores gentis appellatio est, in tabulis Eugubinis Tarsinates vocantur. Illos enim hoc nomine intelligi, quod plus semel in tabulis reperitur cum aliis aliorum populorum nominibus conjunctum [55]), ambigi nequit. Quod autem Umbrorum urbs *Tuder*, Tuscorum *Tudertum* sive *Sudertum* vocatur, nihil est, nisi usitatissimus Italiae populis mos variandi nomina novis

---

52) Plin. H. N. III, 8: Sudertani, Statones, Tarquinienses, Tuscanienses. Liv. XXVI, 23.

53) Cluver Ital. ant. p. 516 sq.

54) Ptolemaeus p. 65. ed. Montani.

55) Tabb. sexta et septima latinis litteris inscriptae eadem verba diversis casibus exhibent. Nominativo cas., uti videtur, *tote tarsinate trifo tarsinate tursce naharce iabusce nomne.* Genitivo casu (Müll. Etr. Einl. 1, 14, p. 54): *totar tarsinater trifor tarsinater tuscer naharcer iabuscer nomner.* Accusat. casu (Müll. l. l.): *totam tarsinatem trifo tarsinatem tuscom naharcom iabuscom nome.* Tab. quarta Tuscis litteris inscripta: *tuta tarsinate triphu tarsinate turskum naharkum numem iapuskum numem.* — Numeravi tabulas Eugubinas cum Bonarota in Dempsteri Etrur. Regal., quamquam Rich. Lepsius, mihi in primis amicus, nuper in dissertatione de tabulis Eugubinis scripta aliter eas disponendas esse recte, ut opinor, demonstravit. — Vid. praeterea de permutatione litterarum t et s. Schneider lat. Gramm. I, 1, p. 352.

syllabis in fine additis [56]), ut ex Camars Camerinum sive Camarinum fecerunt, et Tiburis incolas non Tiburtes solum, sed Tiburtinos etiam nominaverunt, tamquam ab urbe Tiburto [57]). Optime sententiam nostram Plinii locus confirmat, qui oppidi, quod Ptolemaeo Σούδερνον appellatur, incolas Tudernos vocat [58]), ut dubitari possit, an etiam serioribus temporibus *s* et *t* in hoc nomine promiscue adhibitae fuerint. — Arnates, qui trans Tiberim haud procul Perusia Arnam oppidum incolebant [59]), non dubium est, quin Arni fluvii olim accolae fuerint, qui ad Pisas in mare effunditur. — Falerios Umbros incolas habuisse [60]) num inde colligere liceat, quod in ejus urbis vicinia lapis cum figuris Apollinis et Clatrae et inscriptione haud dubie Umbrica inventus est [61]), nescio; poterat enim in tanta Umbriae vicinitate casu aliquo huc deferri. Sed castellum Amerinum, quod ad lacum Vadimo-

---

56) Vid. Nieb. R. G. 1. p. 79. not. 218.

57) Liv. IX, 30: legatos Tibur miserunt, ut darent operam, ut hi homines Romanis restituerentur. Tiburtini benigne polliciti. Dion. Hal. 1. p. 13.

58) Plin. H. N. XIV, 4: Et hactenus publica sunt vitium genera, cetera regionum locorumque, aut ex his inter se insitu mista. Siquidem Tuscis peculiaris est Tudernis atque etiam ejus nominis Florentia.

59) Cluver Ital. ant. 1. p. 626. Vocatur hodie *Civitella d'Arno.*

60) Müll. Etr. Einl. 2, 14. p. 109, 110.

61) Vide lapidem ap. Lanzi Saggio di Ling. Etrusc. II, p. 541: Inscriptio haec est: *Lerpirior santirpior duir for forfer dertier dierir votir farer vef naratu vef poni sirtir.* Linguam Umbricam esse, non Tuscam, quum universus verborum sonus demonstrat, tum aliquot verba, quae in tabb. Eugub. prorsus eadem reperiuntur. Cf. Müll. Etr. Einl. 1, 14, p. 49.

nium inter Falerios Ameriamque situm erat [62]), Amerinos Umbros etiam trans Tiberim ostendit Etruriae incolas.

Sic Umbrorum per universam Etruriam vestigia persecuti sumus, ab iis inde locis, ubi Tiberis in mare devolvitur, usque ad Arnum, qui Arnatibus Umbris nomen dedit, ut tam late inter Tiberim inferumque mare eorum imperium extensum videamus, quam Etruscorum postea potentia patuit. Arnus enim horum quoque Ligurumque per longum temporis spatium finis fuit, dum Augustus terram ad Macram usque Etruriae adjungeret [63]). Tusci igitur quum eam regionem occuparent, quae hodie quoque eorum nomine vocatur, Umbros inde expulerunt. Sed quaeritur, utrum hi ipsi indigenae fuerint, an eandem ab Etruscis sortem experti sint, quam ipsi aliis gentibus paraverant.

Inter Italiae nationes praeter Siculos atque Ligures nulla est, si Umbros exceperis, quam in Etruria aliquando habitasse ex iis, quas aut historicis temporibus habuit, aut olim habuisse traditur, sedibus suspicari possimus. Siculos autem nisi contra constantem inter veteres usum cum Pelasgis commiscemus, et quae de his fabulae narrant ad illos transferimus, late trans Tiberim unquam habitasse vereor ne parum demonstrari queat. Cis Tiberim ea loca, ubi posthac Roma condita est, totumque Latium tenuere. Dionysius Pelasgos cum Aboriginibus conjunctos Siculos sedibus expulisse, omnemque inter Lirim Tiberimque terram suae ditionis fecisse refert [64]),

---

62) Cluver Ital. ant. 1. p. 551.

63) Vid. Otf. Müll. Etr. Einl. 2, 13. p. 105 sq.

64) Dion. Hal. 1. p. 7: ἐπεὶ δὲ Πελασγοί τε καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων τινὲς ἀναμιχθέντες αὐτοῖς συνήρανο τοῦ πρὸς τοὺς

et urbes, quas Siculis expulsis in horum terra ab Aboriginibus conditas perhibet, cis Tiberim omnes sitae sunt [65]). Antiochus Siculum Roma profugum ad Morgetem Oenotrorum regem pervenisse, qui tum Itali aut Morgetes a regibus suis appellati fuerint, et quum inter eos imperium nactus esset, et ipsum nomen suum ad eos transtulisse refert [66]). Varro Siculos quosdam lepus λέπορίν vocasse testatur, quod nomen ex Latio secum in insulam transtulerint [67]).

Sic per Latium maxime Siculorum, qui postea Siciliae nomen dederunt, sedes videmus, eosdemque totam inferi maris a Liri inde, qui Latii finis est, oram multaque mediterranea loca tenuisse, in inferiore vero Italia ab uno mari ad alterum habitasse admodum

---

ὁμοστέρμονας πόλέμου, τὸ Σικελικὸν ἔθνος ἀπαναστήσαντες ἐξ αὐτῆς πόλεις περιεβάλοντο συχνὰς καὶ παρεσκεύασαν ὑπήκοον αὐτοῖς γενέσθαι πᾶσαν, ὅσην ὁρίζουσι ποταμοὶ δύο Λίρις καὶ Τίβερις. cf. II. p. 77.

65) Dion. Hal. 1. p. 13: οἱ (sc. ver sacrum Aboriginum) τοὺς Σικελοὺς ἄγοντές τε καὶ φέροντες διετέλουν, ἐπεὶ τὴν ἑαυτῶν ἐξέλιπον· ὡς δὲ ἅπαξ οὗτοι χωρίων τινῶν τῆς πολεμίας ἐκράτησαν, ἐκ τοῦ ἀσφαλεστέρου ἤδη καὶ οἱ λοιποὶ Ἀβοριγῖνες, οἱ δεόμενοι γῆς, τῆς κατὰ σφᾶς ἕκαστοι ἐπεχείρουν τοῖς ὁμόροις· καὶ πόλεις ἔκτισαν ἄλλας τέ τινας καὶ τὰς μέχρι τοῦδε οἰκουμένας, Ἀντεμνάτας τε καὶ Τελλήνας καὶ Φικολνέους τοὺς πρὸς τοῖς καλουμένοις Κορνίκλοις ὄρεσι, καὶ Τιβουρτίνους, παρ' οἷς ἔτι καὶ εἰς τόδε χρόνου μέρος τι τῆς πόλεως ὀνομάζεται Σικελιών.

66) Antioch. ap. Dion. Hal. 1. p. 59: λέγει δὲ Ἀντίοχος ὧδε· ἐπεὶ δὲ Ἰταλὸς κατεγήρα Μόργης ἐβασίλευσεν· ἐπὶ τούτου δὲ ἀνὴρ ἀφίκετο ἐκ Ῥώμης φυγάς· Σικελὸς ὄνομα αὐτῷ. cf. 1. p. 10.

67) Varro de L. L. V. cap. 20. p. 29. (Bipont.): Lepus, quod Siculi (?) quidam Graeci dicunt λέπορίν. A Roma quod orti Siculi, ut annales veteres nostri dicunt, fortasse hinc illuc tulere, et hic reliquerunt id nomen.

probabile est [68]). Trans Tiberim autem qui consedisse Siculos probare possit unus locus est apud Dionysium, isque ita comparatus, ut et ipse arctis eos trans flumen finibus includat. Narrat enim, Pelasgos cum Aboriginibus, qui circa Cutiliam lacum habitarent, junctos bellum Siculis fecisse, multaque oppida partim hisce eripuisse, partim recentia condidisse: inter quae Caere, tum Agyllam vocatum, et Saturniam, et Pisam, et Alsium et Fescennium et Falerios [69]). Ex quo numero si Pisam exceperis, in quo nomine errorem esse perspicuum est, ceterae urbes vix pauca milliaria a flumine absunt. Quamquam ne id quidem, a Siculis aliquando haec oppida habitata fuisse, uni Dionysii testimonio crediderim.

Latioribus sedibus Ligures aliquando per Etruriam habitasse videntur [70]), quae gens ante quam Galli maris mediterranei ora potirentur a Pyrenaeis inde montibus usque late in Italiam terras incolebat. In Gallia trans Rhodanum cum Iberis permixtos habitasse Scylax auctor est [71]), cis Rhodanum Gallorum

---

68) Vid. Nieb. R. G. 1. p. 52 sq., quamquam is Siculos cum Pelasgis saepe confundit.

69) Dion. Hal. 1. p. 16: πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων ἐκράτησαν χωρίων (οἱ Πελασγοί), τοῖς τε Ἀβοριγῖσι τὸν πρὸς τοὺς Σικελοὺς πόλεμον ἔτι συνεστῶτα πολλῇ προθυμίᾳ συνδιέφερον, ἕως ἐξήλασαν αὐτοὺς ἐκ τῆς σφετέρας· καὶ πόλεις πολλὰς τὰς μὲν οἰκουμένας καὶ πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ κατασκευάσαντες ᾤκουν οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων, ὧν ἔστιν ἥ τε Καιρητάνων πόλις, Ἄγυλλα δὲ τότε καλουμένη, καὶ Πίσα, καὶ Σατουρνία, καὶ Ἄλσιον, καὶ ἄλλαι τινές, αἳ ἀνὰ χρόνον ὑπὸ Τυῤῥηνῶν ἀφῃρέθησαν· Φαλέριον δὲ καὶ Φασκένιον ἔτι καὶ νῦν εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκούμενα.

70) Müll. Etr. Einl. 2, 13, p. 105.

71) Scylax peripl. p. 2: ἀπὸ δὲ Ἰβήρων ἔχονται Λίγυες καὶ Ἴβηρες μιγάδες μέχρι ποταμοῦ Ῥοδανοῦ· ἀπὸ Ῥοδανοῦ

demum potentiae cessere [72]). In Italia ipsa Ligurum fines historicis temporibus plus semel mutati sunt. In ora maritima, quo tempore Etrusci opibus maxime florebant, ad Macram usque his cesserunt, deinde vero quum Galli premerent ad Arnum fines protulerunt, dum Augustus denique Macram rursus Liguriae Etruriaeque finem constitueret [73]). Apenninum Polybii aetate ad Arretium usque tenuere [74]), sed recte Müllerus observat [75]), haec eos loca tum demum cepisse, quum Gallorum migrationes superioris Italiae gentes aut subigerent aut cogerent ad novas sedes quaerendas. Namque Ligures si jam eo tempore, quo Etruscorum potentia et in Etruria ipsa et circa Padum florebat, Apenninum ad Arni usque, qui haud procul Arretio oritur, fontes tenuissent, Etruscorum circa Padum urbes ab iis, quae cis Apenninum sitae sunt, prorsus separatae fuissent. Sed quum per se non verisimile sit, Etruscos quo tempore inter omnes Italiae nationes plurimum pollerent, alienos inter se habitare passuros fuisse, Scylacis etiam testimonium accedit, qui Etruscos ab infero mari ad superum usque conti-

---

ποταμοῦ ἔχονται Λίγυες μέχρι Ἄρνου (sive Ἀλπίου c. Gronov. et Müll. Etr. Einl. 2, 13. not. 96. legendum est. Ἀντίου certe, quod in libris est, ferri non potest.).

72) Müll. Etr. Einl. 2, 13. p. 105. 3, 8. p. 155.

73) Müll. Etr. Einl. 2, 13. p. 105 sq.

74) Polyb. II, 16: τὸν δ' Ἀπέννινον ἀπὸ μὲν τῆς ὑπὲρ Μασσαλίαν καὶ τῆς πρὸς τὰς Ἄλπεις συμπτώσεως Λιγυστινοὶ κατοικοῦσι, καὶ τὴν ἐπὶ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος πλευρὰν αὐτοῦ κεκλιμένην, καὶ τὴν ἐπὶ τὰ πεδία, παρὰ θάλατταν μὲν μέχρι πόλεως Πίσης, ἣ πρώτη κεῖται τῆς Τυῤῥηνίας ὡς πρὸς τὰς δυσμάς· κατὰ δὲ τὴν μεσόγαιαν ἕως τῆς Ἀῤῥητίνων χώρας· ἑξῆς δὲ Τυῤῥηνοί.

75) Müll. Etr. Einl. 2, 13. p. 108.

nuos habitasse refert, trium dierum itinere a Pisis, si Cluverii emendatio [76]) vera est, ad Spinam ducente [77]). Itaque facile Müllero assentimur, Etruriam ante Gallorum irruptiones ut in ora maritima ita mediterraneis locis fere ad Macram usque patuisse, Liguresque tum demum, quum illius potentia jam frangi coepisset, ad Arretinm usque penetrasse. — Inter Apenninum Padumque Trebia fere aut Tido fluvius [78]) Ligurum ante quam a Gallis longius protuderentur finis fuit. Trans Padum in orientali Ticini fluminis littore nunquam habitasse videntur. Nam qui unus apud Livium locus id probare videri potest, aperte corruptus est [79]). In occidentali littore praeter Libicos, de quo-

---

76) Cluver Ital. ant. 1. p. 436.

77) Scyl. p. 6: μετὰ δὲ τὸ Ὀμβρικὸν Τυῤῥηνοί· διήκουσι δὲ καὶ οὗτοι ἀπὸ Τυῤῥηνικοῦ πελάγους ἔξωθεν εἰς τὸν Ἀδρίαν (διήκοντες)· καὶ πόλις ἐν αὐτοῖς Ἑλληνὶς καὶ ποταμός· καὶ ἀνάπλους εἰς τὴν πόλιν κατὰ ποταμὸν ὡς κ' σταδίων. Καὶ Τυῤῥηνία ἐστὶν διήκουσα ἀπὸ τῆς ἔξωθεν θαλάσσης ἕως εἰς τὸν Ἀδρίαν κόλπον ἀπὸ πόλεως Πίσης μέχρι Σπίνης πόλεως, καὶ ἔστιν ὁδὸς ἡμερῶν τριῶν. cf. Müll. Etr. Einl. 3, 9. not. 96.

78) Cluver Ital. ant. 1. p. 58. Müll. Etr. Einl. 3, 2. p. 136.

79) Liv. V, 35: Alia subinde manus Cenomanorum, Elitovio duce vestigia priorum secuta, eodem saltu, favente Belloveso, quum transcendisset Alpes, ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt (locos tenuere Libici) considunt. Cf. Cluver Ital. ant. 1. p. 226. Müller Etr. Einl. 3, 6. p. 149. not. 70. — Ceterum ne constat quidem Libicos Ligustinae originis fuisse. Livius certe XXI, 38. Gallos vocat, cui rei neque id repugnat, quod Libicorum urbs Vercellae Plinio teste (H. N. III, 21.) a Salluviis Liguribus condita est, neque quod a Polyb. II, 17. et Liv. XXXIII, 37. una cum Laevis, quos Ligures esse constat, nominantur. Sed cujuscunque generis Libici fuerunt, prorsus incredibile est, eos tum temporis, quum Etrusci omnia circa tenerent, ad Benacum lacum habitasse. Quare Cluverius l. l. Livii verba satis audacter

rum Ligustina origine non satis constare modo vidimus, Laevos Maricosque, Taurinos [80]) et Salluvios habitantes comperimus, sed dubium est, num eae gentes has sedes ante Gallorum in Italiam expeditionem tenuerint. Salluvios certe ex iis Galliae regionibus, ubi Massilia a Phocaeensibus condita est, immigrasse apparet [81]). De Maricis nihil constat, sed quum Plinius arcte eos cum Laevis conjungat [82]), idem de iis, quod de illis statuendum videtur. Differunt autem de Laevis Livius atque Polybius, quorum ille eos veteres Italiae incolas, hic ex Gallia advenas statuit [83]). Sed plus equidem hoc loco Livio quam Polybio tribuerim, cujus testimonium verbis minus certis expressum est. Accedit, quod si omnes Ligurum gentes

---

ita correxit: (Cenomani) *quum transcendissent Alpes, ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt locos tenuere. Post hos Libici ex Saluiis orti prope etc.* — Mihi verba *locos tenuere Libici* transponenda videntur: *quum transcendissent Alpes (locos tenuere Libici), ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt considunt.* Revera enim Libicorum sedes ab iis saltibus, quibus Cenomanos Alpes transgressos esse verisimile est, haud procul abfuere. Cf. Plin. H. N. III, 21. et Ptolem. p. 64, qui praeter Vercellas Laumellum etiam huic genti tribuit.

80) Plin. H. N. III, 21. Mannert Geogr. d. Gr. u. Röm. IX, I.

81) Liv. V, 34: ibi quum velut septos montium altitudo teneret Gallos, religio etiam tenuit, quod allatum est, advenas quaerentes agrum ab Salyum gente oppugnari. cf. V, 35.

82) Plin. H. N. III, 21: ex quibus (Liguribus) Laevi et Marici condidere Ticinum.

83) Liv. V, 35: Post hos Salluvii prope antiquam gentem Laevos Ligures, incolentes circa Ticinum amnem, considunt. Polyb. II, 17: οἱ Κελτοὶ — ἐπελθόντες ἐξέβαλον ἐκ τῆς περὶ τὸν Πάδον χώρας Τυῤῥηνοὺς καὶ κατέσχον αὐτοὶ τὰ πεδία· τὰ μὲν οὖν πρῶτα καὶ περὶ τὰς ἀνατολὰς τοῦ Πάδου κείμενα Λάοι καὶ Λεβέκιοι, μετὰ δὲ τούτους Ἴσομβροι κατῴκησαν.

ante Gallorum quidem migrationes ex terrae inter Ticinum Alpesque tractu ejiciendos statuimus, nemo profecto restat, quem ibi habitasse credibile sit, quum Etruscorum has regiones incolentium nulla sint vestigia. Taurini enim soli, etiam si jam ante Gallorum expeditionem Italiam ipsam habitarunt, neque Alpes tantum ut ex Livii testimonio videri possit [84]), certe non omnem ad Ticinum usque terram tenuerunt.

Hi historicis temporibus Ligurum in Italia fines fuere; sed haud dubium est, quin ante Umbrorum Etruscorumque potentiam in occidentali peninsulae parte multo latius regnarint. Philistum Syracusanum jam supra vidimus tradidisse, Siciliae incolas ex Italia transgressos non Siculos aut Ausones aut Elymos fuisse, sed Ligures ab Umbris atque Pelasgis expulsos [85]). Unde quod apparet duplex est, primum Ligures ex Philisti sententia antiquitus per Etruriam usque in Latium habitasse, quum hic tantum ab Umbris Pelagisque expelli potuerint [86]), deinde, quem Philistus sequitur fontem, sive is fama fuit, sive antiquior aliquis scriptor, Ligures arcte cum Siculis conjunxisse, quum Sicelum eorum regem ipsosque in Siculos mutatos faciat. Quamquam inde equidem vere eos cum Siculis cognatos fuisse affirmare non ausim, quorum propinqua, uti videtur, cum Graecis cognatio vereor ut ad Ligures quoque, quorum patria Gallia fuit, non Italia, transferri queat. Sed una cum Siculis eos in Latio habitasse, et inde cum his ab Ab-

---

84) Liv. V, 34: ipsi per Taurinos saltusque invios Alpes transcendunt.

85) Cf. supra not. 38.

86) Cf. supra pag. 20. 21.

originibus expulsos esse, etiam Festus tradit [87]), et Dionysius Herculem, quum inter Aborigines in Latio versans divino ab his honore receptus esset, ut gratias hospitibus referret, Ligures aliosque vicinos iis subjecisse refert [88]); quamquam, quae sempiterna fabularum mobilitas est atque inconstantia, etiam illud tradebatur, Aborigines ipsos a Liguribus oriundos esse [89]). Etiam in Etruria ipsa aliquot Ligurum vestigia servata sunt. Notus ibi est lacus Sabatinus [90]), qui oppidum Sabate vocatum undis absorpsisse dicitur. Idem nomen in ora Liguriae reperitur oppido inditum, quod et Vada Sabatorum, aut Vada Sabatia, aut simpliciter Vada vocatur [91]). — Silius Italicus Aunum, Ligurum regem, qui Virgilio etiam memoratur, circa lacum Trasimenum regnantem facit [92]), filium Fauni, qui Aboriginum in Latio rex erat [93]). — Ilvae insu-

---

87) Festus s. v. Sacrani: Sacranî appellati sunt Reate orti, qui ex septimontio Ligures Siculosque exegerunt; nam vere sacro nati erant.

88) Dion. Hal. 1. p, 32: ἀγασθεὶς δὲ τοὺς ἀνθρώπους τῆς φιλοξενίας Ἡρακλῆς τὸν μὲν δῆμον ἐστιάσει ὑποδέχεται, θύσας τῶν βοῶν τινας καὶ τῆς ἄλλης λείας τὰς δεκάτας ἐξελών· τοὺς δὲ βασιλεῖς χώρα πολλῇ δωρεῖται Λιγύων τε καὶ τῶν ἄλλων προσοίκων, ἧς μέγα ποιοῦντο ἄρχειν.

89) Dion. Hal. 1. p. 9: ἄλλοι δὲ Λιγύων ἀποίκους μυθολογοῦσιν αὐτοὺς (sc. τοὺς Ἀβοριγῖνας) γενέσθαι τῶν ὁμοροούντων Ὀμβρικοῖς· οἱ γὰρ Λίγυες οἰκοῦσι μὲν καὶ τῆς Ἰταλίας πολλαχῇ, νέμονται δέ τινα καὶ τῆς Κελτικῆς.

90) Strab. V, p. 347. Cf. Cluver. Ital. ant. p. 523.

91) Cluver Ital. ant. p. 68.

92) Sil. Ital. V, 7:

Quae vada Faunigenae regnata antiquitus Auno,
Nunc volvente die Trasumeni nomina servant.

Cf. Virg. XI, 699.

93) Dion. Hal. 1, p. 24. 34.

lae, quae ad oram Etruscam sita est, nomen cum Ilvatibus, Liguriae oppido, convenit, quod omnium cis Padum Ligurum Romanis diutissime restitisse memoratur [94]). Corsica quoque Ligures incolas habuit [95]).

Sic per occidentalem oram Italiae Romam usque Ligures antiquitus habitantes videmus, nec incredibile videtur, eos una cum Siculis olim partim ab Umbris partim ab Aboriginibus pulsos in Siciliam esse transgressos. Aliquot certe locorum nomina hujus quoque migrationis memoriam servare videntur. In Campania inter Sinuessam atque Vulturnum Savo amnis in mare effunditur [96]), quo nomine in Liguria haud procul Vadis Sabatiis oppidum vocabatur [97]). Sabatinum vero nomen, quod in Liguria oppido, in Etruria lacui inditum jam supra vidimus, etiam inter Hirpinos atque Bruttios redit. Nam in Vulturnum ex Hirpinis effunditur amnis hodie Sabato dictus, cujus accolae fuisse videntur, quos Livius Sabatinos vocat [98]). Apud

---

94) Liv. XXXII, 29: Et jam omnia cis Padum praeter Gallorum Bojos, Ilvates Ligurum sub ditione erant. cf. XXXI, 10.

95) Niebuhr Römische Geschichte 1, p. 182. Müller Etrusker. Einl. 4, 6.

96) Plin. H. N. III, 9: oppidum Sinuessa, extremum in adjecto Latio, quam quidam Sinopen dixere vocitatam. Hinc felix illa Campania est. — In ora Savo fluvius, Vulturnum oppidum cum amne.

97) Liv. XXVIII, 46: Ingauni (Ligurum ea gens est) bellum ea tempestate gerebant cum Epanteriis montanis. Igitur Poenus, Savone, oppido Alpino, praeda deposita — ipse societate cum Ingaunis, quorum gratiam malebat, composita montanos instituit oppugnare. Cf. Mannert Geogr. IX, 1, p. 278.

98) Liv. XXVI, 33: Omnes Campani, Atellani, Calatini, Sabatini, qui se dediderunt in arbitrium ditionemque populi Romani — de iis quid fieri velitis vos rogo Quirites. cf. XXVI, 34.

Bruttios autem fluvius Sabbatus in itinerario Antonini memoratur inter *Consentiam* et *ad Turres* [99]), qui fortasse idem est, quem Plinius Batum fluvium appellat [100]), sive id memoriae lapsu sive scribae alicujus errore factum est, quamquam Plinius id flumen etiam alio quam itinerarium loco ponit. — Quid quod vel in Sicilia ipsa migrationis illius Ligurum vestigium superesse videtur. Plinius in descriptione Liguriae Segestam urbem memorat [101]), quo nomine in occidentali Siciliae parte urbs nota est, de cujus origine multa veteres fabulati sunt [102]). — Latina versio Ptolemaei in Liguriae ora Erycis portus mentionem facit, qui idem esse videtur, quem ceteri veteres geographi Lunae portum vocant [103]). Cui nominis congruentiae cum Eryce Siciliae urbe etsi per se haud nimium tribuerim, mirum tamen est, quod Veneris cultus, quo Siciliae urbs celeberrima fuit [104]), etiam

---

99) Itiner. Anton. p. 105. 110:
Consentia
ad fluvium Sabbatum
ad Turres.
Fluvius Sabbatus hodie Savuto vocatur. cf. Mannert Geogr. IX, 2. p. 156. Ceterum Cluv. Ital ant. p. 1289 in Itinerar. Sabatum una *b* legendum censet.

100) Plin. H. N. III, 10: Laus amnis. Ab eo Bruttium litus: oppidum Blanda, flumen Batum, portus Parthenius Phocensium etc.

101) Plin. H N. III, 7: Fluvius Feritor, portus Delphini, Tigulia intus, Segesta Tiguliorum, flumen Macra Liguriae finis.

102) Dion. Hal. 1, p. 42. Cic. in Verr. IV, 33. Serv. ad Virg Aen. 1, v. 550. Tzetz. ad Lycophr. Alex. v. 964.

103) Hodie golfo di Spezzia. cf. Mannert Geogr. IX, 1. p. 286.

104) Virg. Aen. V, 759 sq. Heyne exc. II. ad Virg. Aen. Diod. IV, 83.

prope portum Erycis in Liguria locum habuisse videtur; nam hodie quoque in lingua, quae sinum *golfo di Spezzia* vocatum a septentrione claudit, *porto Venere* est [105]), novitque hunc etiam latina Ptolemaei versio et Itinerarium maritimum, sed hoc falso eum loco ponit [106]). — Postquam igitur haud profecto inania atque inepta videri judicavimus, quae Philistus de Ligurum in Siciliam migratione memoriae tradidit, ad Umbros redeamus, qui illos Etruria expulsos coegerunt, ut novas sedes quaererent, eodem fere, uti videtur, tempore, quo idem fatum Siculis in Latio ab Aboriginibus accidit. Id quando factum sit in tanta rei antiquitate et testimoniorum, uti par est, inter se discrepantia accuratius definire, ut inde quando Umbri universa Etruria potiti sint colligeremus, amentis esset, quum ne de eo quidem tempore, quo Umbri ab Etruscis Etruria iterum expulsi sint, quidquam statuere liceat, quod plus quam aliquam veri similitudinis speciem prae se ferat. Ipsorum tamen Tuscorum de tempore, quo sedes suas inter Apenninum inferumque mare ceperint, sententia nobis servata videtur, haud temere rejicienda, quum sacra eorum disciplina ipsa nitatur.

Haec enim docebat, certum nationibus tempus concessum esse, quo vitam suam peragerent, et octo esse nationes numero [107]). Etruscis decem secula data

---

105) Mannert Geogr. IX, 1. p. 285.

106) Mannert l. l. Cluver Ital. antiq. p. 459.

107) Plutarch Sylla 7: Τυῤῥηνῶν δ' οἱ λόγιοι μεταβολὴν ἑτέρου γένους ἀπεφαίνοντο καὶ μετακόσμησιν ἀποσημαίνειν τὸ τέρας· εἶναι μὲν γὰρ ἀνθρώπων ὀκτὼ τὰ σύμπαντα γένη διαφέροντα τοῖς βίοις καὶ τοῖς ἤθεσι δι' ἀλλήλων, ἑκάστῳ δ' ἀφωρίσθαι χρόνων ἀριθμόν, ὑπὸ τοῦ θεοῦ συμπεραινόμενον

esse, diversa inter se longitudine, alia aliis longiora aut breviora [108]). Seculum enim omne id tempus comprehendebat, quod inde a fine antecedentis seculi usque ad mortem ejus hominis perageretur, qui ex omnibus, qui quum prius seculum finiretur jam nati fuissent, diutissime viveret [109]). Itaque, ne homines in re investigatu et cognitu difficili errarent, deos immortales ipsos singulorum seculorum finem portentis indicare, quibus quid significaretur sacrae disciplinae peritis apertum esse. Haec portenta in sacris Etruscorum libris accurate perscripta erant, simulque additum, quot quodque seculum annos comprehendisset. Usque ad septimi finem anni septingenti octoginta unus praeterlapsi erant, ut Tuscae historiae, octavo Etruscorum seculo scriptae [110]), te-

---

ἐνιαυτοῦ μεγάλου περιόδῳ· καὶ ὅταν αὕτη σχῇ τέλος, ἑτέρας ἐνισταμένης, κινεῖσθαί τι σημεῖον ἐκ γῆς ἢ οὐρανοῦ θαυμάσιον, ὡς δῆλον εἶναι τοῖς πεφροντικόσι τὰ τοιαῦτα καὶ μεμαθηκόσιν εὖθὺς ὅτι καὶ τρόποις ἄλλοις καὶ βίοις ἄνθρωποι χρώμενοι γεγόνασι, καὶ θεοῖς ἧττον ἢ μᾶλλον τῶν προτέρων μέλοντες· τά τε γὰρ ἄλλα φασὶν ἐν τῇ τῶν γενῶν ἀμείψει λαμβάνειν μεγάλας καινοτομίας καὶ τὴν μαντικὴν ποτὲ μὲν αὔξεσθαι τῇ τιμῇ καὶ κατατυγχάνειν τοῖς προαγορεύσεσι, καθαρὰ καὶ φανερὰ σημεῖα τοῦ δαιμονίου προσπέμποντος, αὖθις δ' ἐν ἑτέρῳ γένει ταπεινὰ πράττειν αὐτοσχέδιον οὖσαν τὰ πολλὰ καὶ δι' ἀμυδρῶν καὶ σκοτεινῶν ὀργάνων τοῦ μέλλοντος ἀπομένην. Ταῦτα μὲν οὖν οἱ λογιώτατοι Τυῤῥηνῶν καὶ πλέον τι τῶν ἄλλων εἰδέναι δοκοῦντες ἐμυθολόγουν. Cf. Suid. v. Σύλλας, qui eadem referens Livium et Diodorum ut auctores nominat. — Ad universam rem cf. Nieb. R. G. 1, p. 154 sq. Müll. Etr. IV, 7, p. 331 sq.

108) Censorin. de die natal. 17.

109) Censorin de die natal. 17, 5. Cf. Müll. Etr. IV, 7, 7. cum not. 29, qui seculum et ἡλικία idem verbum esse statuit.

110) Varro ap. Censorin. de die natal. 17.

stabantur [111]). — Jam facile Otfr. Müllero concedemus Etruscos gentis suae originem vitaeque ei concessae initium ab eo tempore numerasse, quo Etruriam ceperunt [112]); hic enim ipsis ultimae memoriae finis fuisse videtur, et in Etruria demum prope Tarquinios Tages daemon Tarchonem, duodecim tum in ipsa Etruria tum circa Padum urbium conditorem [113]), ceterosque urbium Lucumones sacram disciplinam docuit, qua factum est, ut qui ejus gnari essent deorum mentem cognoscerent portentaque intelligerent, quibus singulorum seculorum fines indicarentur [114]). Itaque si quod primi seculi initium fuerit cognitum haberemus, Tuscorum simul in Etruria potentiae principium, Umbrorumque finem nossemus; ut graviter dolendum sit, quod Varro, qui Tuscas historias octavo nationis seculo scriptas tradit, id tempus non ad Romanorum annos computandi rationem reduxit. — Sed habemus alium, qui huc pertinet, ex antiquitate nuncium. Nam quum anno Urbis 666 ante primi belli civilis initium multa prodigia fierent, hisce Etruscorum haruspices interitum unius generis hominum alteriusque initium portendi edixerunt [115]). Quin Etruscorum gens ea fuerit, cujus occasum portenta indicarent, vix dubium esse potest [116]); Romanorum enim, quibus et ipsis duodecim secula pro duodecim, qui Romulo apparuerant,

---

111) Censorin de die natal. 17, 6.

112) Otfr. Müll. Etr. Einl. 2, 2.

113) Otfr. Müll. Etr. Einl. 2, 1.

114) Otfr. Müll. Etr. III, 2, 3 sq. Cic. de divin. 2, 23.

115) Plutarch. Syll. 1, 1.

116) Nieb. R. G. 1, p. 156. Orioli Opusc. letter. 1, p. 309 sq. Sed cf. Müll. Etr. IV, 7, 9.

vulturibus destinata esse enunciatum erat [117]), aetas tum nullo modo finiri poterat. Itaque si decem Etruscorum seculis circ. 1100 anni explebantur, ut ex Censorino apparet, initium primi in annum 434 ante Urbem conditam, 1188 a. Chr. incidit, septimique finis, usque ad quem a gentis inde origine 781 anni praeterlapsi essent, anno U. C. 347 ponendus est.

Huic igitur temporum computationi, sacra Etruscorum disciplina nisae, si quid tribuimus, Umbrorum in Etruria imperium circ. annum 434 ante U. C. a novis advenis dirutum esse statuemus. Sed repugnat huic sententiae alius ex antiquitate nuncius, quem Servius nobis servavit [118]). Is enim refert, Augustum imperatorem scripsisse, Vulcatium haruspicem, quum cometa, qui inter Divi Julii exsequias conspectus est, apparuisset, in concione edixisse, hanc stellam noni seculi exitum decimique initium portendere, se vero id invitis diis enunciare, itaque illico moriturum esse. Paullo post obiisse haruspicem. Difficile hoc responsum cum altero, quod a. U. 666 finem aetatis Etruscorum enuntiabat, conjunctu est, si et hoc ad Tuscos refers. Quare Niebuhrius [119]) urbis Romae secula intelligi censet, cui sententiae id favet, quod vaticinium in ipsa populi Romani concione editum est, neque repugnat, quod Vulcatium nomen ipsum Etruscum fuisse prodit [120]). Tuscos enim haruspices arte sua etiam Romanis deorum voluntatem interpretatos esse prodigiaque procurasse satis constat; nec dubium esse

---

117) Censorin. 17. Müll. Etr. IV, 7, 8, c. not. 35.

118) Augustus de memoria vitae suae lib. 2. ap. Serv. ad Virg. Ecl. IX, 47.

119) Nieb. R. G. 1, p. 155. not. 422.

120) Müll. Etr. IV, 7, 8. p. 334.

potest, quin sacrae suae disciplinae saepe vim intulerint, ut ad Romanorum quoque religionem institutaque quadraret, quum crescente Romana potentia his quam Tuscis ipsis respondere multo et gravius et utilius esset [121]). Sed nullo modo fieri potuit, ut anno 44 a. Chr., quo Julius Caesar mortuus est, noni urbis Romae seculi finis adesset, quamcunque ex iis, quibus Romani usi sunt, rationem computandi quo urbs condita sit anni sequeris [122]). Itaque Müllerus, ne Vulcatius mentitus esse videretur, satis artificiosa ratione discrimen statuit inter aetatem nationis alicujus et secula ei destinata, ut aetas ante finiretur quam quae eam efficiant secula [123]), quod quomodo fieri queat fateor me non satis intelligere. Equidem non dubito, quin haruspicum ante primum bellum civile responso plus tribuendum sit quam Vulcatio, cujus repentina mors rei fidem non auget. Fieri tamen potuit, ut etsi ex antiqua gentis disciplina Etruscorum aetas septimo post U. C. seculo finiretur, ut a. 666 haruspices responderunt, nova posthac computatio excogitaretur, quae nationis interitum proferret. Vera enim et antiqua sententia doctrinae de aetatibus singulis gentibus concessis haud dubie ea fuit, finito seculorum datorum spatio nationem prorsus interire. Quod quum post annum U. C. 666, quo ex antiqua computatione Tuscae aetatis exitus instare nunciabatur, non ita factum esset, quin natio ipsa existere pergeret, nova fortasse ratione haruspices secula genti suae data computare coeperunt, ne sacrae disciplinae experientia repugnaret. Accedit quod, si Tuscorum

---

121) Müll. Etr. III, 1, 6. 2, 2 sq.

122) Müll. Etr. IV, 7, 8.

123) Müll. Etr. IV, 7, 9.

aetatem finitam esse concedebant, simul se porro prodigiorum sensum nosse eaque procurare posse negabant; ipsi enim cum nova aetate novis hominibus facultatem dari deorum voluntatem cognoscendi docuerant [124]).

Ejus vero, quod a. U. 666 editum est, responsi, quo nationis initium ad quintum ante Romam conditam seculum refertur, tanta auctoritas fidesque esse videtur, quanta in rebus ad remotam gentium originem redeuntibus esse potest, et si in tanta antiquitate quidquam est, quod cum aliqua veri similitudine statuere licet, duodecimo ante Chr. nat. seculo aerae Etruscorum initium Umbrosque Etruria expulsos statuere ausim. Utrum jam ante, quam Rasenae [125]) a septentrione irrumperent, ex Lydia advenarum manus navibus advecta inter Umbros consederit, ut in antiquis fabulis est [126]), ad nostram rem vix pertinet, quum nihil nisi perexiguam inferioris Etruriae partem occupasse dicantur. Sed recte nuper Otfr. Müllerus hujus sententiae patrocinium ita suscepit, ut Pelasgos ex vicinia Tyrrhae, Lydorum urbis, oriundos huc delatos esse et deinde cum Rasenis in unum populum coaluisse doceret, quum sic tantum Tyrrhenorum nomen recte explicari queat, et omnia bene conveniant [127]). Quamquam si cum Müllero statuimus, hos Pelasgos ex iis fuisse, qui Boeotorum migratione Boeo-

---

124) Plut. Sylla 7.

125) Hoc nomine Tuscos ipsos se vocasse vide ap. Dion. Hal. 1, p. 24: *αὐτοὶ μέντοι σφᾶς αὐτοὺς ὑπὸ τῶν ἡγεμόνων τινὸς Ῥασένα τὸν αὐτὸν ἐκείνῳ τρόπον ὀνομάζουσιν.* cf. Müll. Etr. Einl. p. 202.

126) Herod. 1, 94. Scymn. Chius v. 220. Plin. H. N. III, 8.

127) Müll. Etr. Einl. 2, 4 sq.

tia expulsi in multis Aegaei maris insulis Asiaeque minoris ora consederunt [128]), Umbros multo serius, quam supra ex Tuscorum aera collegimus, Etruria expulsi fuerint necesse esset, quum ex Lydia advenae in Umbrorum terram venisse tradantur. Sed non dubium est, quin multo ante jam Pelasgorum natio multis per Asiam minorem locis habitarit [129]), et longe prius, quam Pelasgi Boeotia ejecti sunt, illam ex Lydia coloniam in Italiam profectam esse veteres certe, qui ejus memoriam servarunt, scriptores statuerunt, quippe qui Atyis filium Tyrrhenum ejus ducem faciant. Atyadae vero Lydiae imperium ante Heraclidas tenuere, quorum primus Agron quarto gradu cum Hercule cognatus fuit [130]).

Hucusque igitur Umbros inde ab incerto tempore per universam Etruriam inde ab Arno usque ad Tiberim regnantes vidimus, Liguribus, qui loca mari propinquiora tenuerant, ut ad inferiorem Italiam emigrarent coactis. Postea Pelasgorum ex Lydia colonia in inferiore Etruriae parte inter Umbros consedit, dum hi ipsi circ. annum 434 a. U. C. a Rasenis terra ejicerentur.

Sed redeamus jam trans Apenninum, ut quae Umbrorum ibi sors fuerit videamus.

Inter Padum Apenninumque historia eorum non ante, quam a Gallis inde expellantur, mentionem facit. Boji enim et Lingones quum Alpes transgressi ad Padum usque omnia jam teneri vidissent, trajecto flumine Etruscos Umbrosque expulere [131]). Ipsis ab

---

128) Müll, Etr. Einl. 2, 3. p. 75 sq.

129) Nieb. R. G. 1, p. 37 sq.

130) Herod. 1, 7.

131) Liv. V, 35.

occidente Tarus fluvius finis fuisse videtur [132]), ad orientem versus mare fere attigerunt [133]), cujus ne ad ipsam oram pervenirent crebris paludibus prohibiti fuisse videntur, Padique brachiis per totam oram dispersis. Quorum quod maxime ad meridiem versus fluit, Messanicus olim nomine, cum ultimo Utentis cursu conjungitur. Sed Umbros certe haec Padi brachia a Gallis non defenderunt, nam haud dubie nonnisi Etrusci inter fluminis ostia habitarunt, quorum pleraque ab his demum effossa fuerant, quod certum indicium est, eos totum hunc tractum tenuisse [134]). Iis autem locis, quae Boji Lingonesque occuparunt, ante horum adventum Umbri una cum Tuscis habitabant; sed non constat, quae iis cum Tuscis ratio intercesserit, ut dubitari queat, utrum liberi utrique alteri juxta alteros, an Umbri Etruscis subjecti fuerint. Disjunctis certe sedibus, ut ubi horum imperium finiretur illi inciperent, eos terram incoluisse statui nequit, quum Etruscorum sedes mari tam propinquas videamus [135]), ut Umbris tractus terrae, ubi ipsi soli habitarent, non videatur relictus fuisse. Ad occiden-

---

132) Cluver Ital. ant. p. 273.

133) Usque ad mare ipsum ex Polybii testimonio (II, 17: τὰ δὲ πέραν τοῦ Πάδου τὰ περὶ τὸν Ἀπέννινον πρῶτοι μὲν Ἄνανες, μετὰ δὲ τούτους Βοιοὶ κατῴκησαν· ἑξῆς δὲ τούτων ὡς πρὸς τὸν Ἀδρίαν Λίγγωνες· τὰ δὲ τελευταῖα πρὸς θαλάττῃ Σένωνες) Boji Lingonesque non pertinuerunt.

134) Plin. H. N. III, 20: Padus angusta fossa Ravennam trahitur, ubi Padusa vocatur. — Proximum inde ostium magnitudinem portus habet, qui Vatreni dicitur. Hoc ante Eridanum ostium dictum est, aliis Spineticum ab urbe Spina. — Proximum inde ostium Caprasiae, deinde Sagis, dein Volane, quod ante Olane vocabatur. Omnia ea flumina fossasque primi a Sagi fecere Tusci.

135) Verbi gratia Bononiae, urbe haud dubie Tusca.

tem versus enim, quo Etruriae propinquiora et ab Umbria remotiora loca essent, eo minus quin omnia Etruscorum potius quam Umbrorum fuerint dubitari potest. Itaque quod Livius refert, Bojos Lingonesque ex iis, quas postea ipsi tenuerint, sedibus Umbros ejecisse, magis ad loca mari propinqua, quam quae ab ora remotiora essent pertinere videtur, quamquam fortasse et in hisce Umbros, eosque fortasse liberos, habitasse negari nequit. Trans Tarum quoque num Umbri incoluerint, quo tempore Galli advenerunt, nihil est quod nos docere queat; certe admodum improbabile est, liberos fuisse ab Etruscorum imperio.

Sub initium igitur seculi ante Chr. nat. quarti, quo Galli in Italiam transcenderunt, Umbrorum inter Padum Apenninumque sedes finibus a superi maris ora non admodum remotis coercitas videmus, quum pleraque in hoc tractu Etrusci tenerent. Quae ibi fuerint Umbrorum urbes ante Gallorum irruptionem si quaeritur, vix una alterave est, quam expresso antiquitatis testimonio nixi afferre possimus, quamquam inde non plures exstitisse colligere non licet. Nam ne Tuscorum quidem inter Padum Apenninumque oppidorum multa nomina servata sunt, quamquam late eorum in his regionibus imperium patuisse constat; neque mira est ista in his locis caligo, quum Galli veteres inde incolas multo prius expulerint, quam Italiae gentes aliquam, certe quae ad nos pervenerit, historiam habuerunt. — Ravennam tamen ab Umbris, nisi conditam, certe habitatam novimus [136]), quibus a Gallis demum erepta videtur, quum Etruscos eam te-

---

136) Strab. V, 1. p. 214: καὶ ἡ Ῥαουέννα δὲ Θεσσαλῶν λέγεται κτίσμα· οὐ φέροντες δὲ τὰς τῶν Τυῤῥηνῶν ὕβρεις ἐδέξαντο Ὀμβρικῶν τινας, οἳ καὶ νῦν ἔχουσι τὴν πόλιν· αὐτοὶ

nuisse nullum indicium sit. Hoc oppidum ad ipsum litus in dextra Utentis fluvii ripa situm a Spinetico Padi ostio, quod omnium antiquitus maximum erat, non multum abfuit; Padus enim cursum suum olim multo magis quam nunc ad meridiem dirigebat. Paludibus et fossa, quae Padi aquam ad ostium oppido propinquum ducebat [137]), tuta ea urbs primo Gallorum impetui restitisse videtur, unde factum est, ut veterum incolarum memoria diutius ibi quam in ceteris oppidis servaretur. — Haud procul Ravenna ad septentrionem versus Butrium fuit, ab Umbris conditum [138]).

Latioribus inter Apenninum Padumque finibus Umbros Strabonis locus nobis ostendit, qui Tuscorum cum iis de hisce regionibus pugnam memorat [139]). An-

---

δ' ἀνεχώρησαν ἐπ' οἰκοῦ· Cf. paullo post p. 217: τὸ δὲ Ἀρίμινον Ὀμβρικῶν ἐστι κατοικία καθάπερ καὶ ἡ Ῥαουέννα.

137) Vid. Jornand. apud Cluver Ital. ant. p. 398. Mannert Geogr. IX, 1 p. 236 sq. Plin. H. N. III, 20.

138) Plin. H. N. III, 20: nec procul a mari Umbrorum Butrium. — De situ oppidi vid. Strab. V. p. 213: ἐν δὲ τοῖς ἕλεσι μεγίστη μέν ἐστι Ῥαουέννα. — ἐστὶ δὲ καὶ τὸ Ἄλτινον ἐν ἕλεσι· μεταξὺ δὲ Βούτριον τῆς Ῥαουέννης πόλισμα.

139) Strab. V. p. 216: τῶν δὲ Βοιῶν ἐξελαθέντων, ἀφανισθέντων δὲ καὶ τῶν Γαισατῶν καὶ Σενώνων, λείπεται (ἐντὸς τοῦ Πάδου) τὰ Λιγυστινὰ φῦλα καὶ τῶν Ῥωμαίων αἱ ἀποικίαι. Τοῖς δὲ Ῥωμαίοις ἀναμέμικται καὶ τὸ τῶν Ὀμβρικῶν φῦλον, ἔστι δ' ὅπου καὶ Τυῤῥηνῶν. Ταῦτα γὰρ ἄμφω τὰ ἔθνη πρὸ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐπὶ πλέον αὐξήσεως εἶχέ τινα πρὸς ἄλληλα περὶ προτείων ἅμιλλαν, καὶ μέσον ἔχοντα τὸν Τίβεριν ποταμὸν ῥᾳδίως ἐπιδιέβαινον ἀλλήλοις. Καὶ εἴ ποί τινας ἐκστρατείας ἐποιοῦντο ἐπ' ἄλλους οἱ ἕτεροι, καὶ τοῖς ἑτέροις ἔρις ἦν μὴ ἀπολείπεσθαι τῆς εἰς τοὺς αὐτοὺς τόπους ἐξόδου· καὶ δὴ καὶ τῶν Τυῤῥηνῶν στειλάντων στρατιὰν εἰς τοὺς περὶ τὸν Πάδον βαρβάρους καὶ πραξάντων εὖ, τάχυ δὲ πάλιν ἐκπεσόντων διὰ τὴν τρυφήν, ἐπεστράτευσαν οἱ ἕτεροι

tiquam enim harum gentium contentionem fuisse narrat, et si altera aliquam regionem subigere conata fuerit, statim et alteram idem fecisse. Itaque quum Etrusci expeditionem ad Padum misissent, et primo quidem res prospere gessissent, deinde vero propter mollitiem ejecti fuissent, Umbros statim iisdem locis bellum intulisse, et ex antiquis quidem incolis victoriam reportasse, postea autem cum Etruscis certasse, qui et ipsi in haec loca colonias mitterent; plures tamen ab Umbris conditas esse. In qua satis mira narratione id haud dubie verum est, certasse aliquando Umbros cum Tuscis de possessione terrae Pado a meridie adjacentis (ad hanc solam enim Strabonis verba pertinere, non ad transpadanas regiones, totius loci nexus docet); cetera ficta esse apparet. Nam ut taceam de ridiculo inter utramque gentem potentiae certamine, quale Strabo describit, id quoque nosse velim, qui fuerint inter Apenninum Padumque barbari, quibus Etrusci, deinde Umbri, bellum inferrent; deinde id aperte falsum est, quod Etrusci ex ipsa Etruria profecti Padi planitiem cepisse dicuntur, quum hac ante potiti fuerint necesse sit, quam in Etruriam pervenirent. Satis enim hodie constat, Tuscorum gentem non Etruriae indigenam fuisse, neque hinc profectam Padi planitiem in utraque fluminis ripa occupasse, quamquam haec antiquitatis Tuscorumque ipsorum sententia fuit [140]), sed a septentrione ortam

---

τοῖς ἐκβαλοῦσιν· εἶτ' ἐκ διαδοχῆς τῶν τόπων ἀμφισβητοῦντες πολλὰς τῶν κατοικιῶν τὰς μὲν Τυῤῥηνικὰς ἐποίησαν, τὰς δ' Ὀμβρικάς, πλείους δὲ τῶν Ὀμβρικῶν· ἐγγυτέρω γὰρ ἦσαν.

140) Flaccus et Caecina (Tuscus. cf. Müll. Etr. p. 7.) ap Intt. Virg. a Majo ex cod. Veronens. editos ad Aen. X, 198: Tarchon cum exercitu Apenninum transgressus primum oppidum

prius trans Apenninum quam in ipsa Etruria sedes posuisse [141]). Nec parum probabilis eorum sententia est, qui Rhaetiam Tuscorum patriam statuunt, quo a Gallis pulsi redierint [142]). Inde perantiquis temporibus exeuntes primo terram trans Padum occupavere, ubi Mantua sita fuit, antiqua duodecim circa Padum urbium Etruscarum metropolis [143]), deinde flumine trajecto cum Umbris congressi sunt, veteribus horum locorum incolis, eosque, qua parte terrae potiti sunt, aut subegerunt, aut ut novas sedes quaererent coegerunt, quam emigrationem infra videbimus haud improbabile esse magnae partis inferioris Italiae statum permutasse. Tum demum Apennino superato ipsam Etruriam cepisse videntur, inde quoque Umbros ejicientes. Huic vero genti in fatis fuit, ut in magna Italiae parte nihil nisi miserae reliquiae memoriam pristinae fortunae servarent. Inter Padum eos Apenninumque latis ante Tuscorum potentiam finibus habitasse, aliquot nominum memoria probatur. Inter Umbriae oppida Plinio aliisque Nuceria memoratur, quam inscriptio apud Gudium inter quindecim Umbriae

---

constituit, quod tum Mantuam nominavit. — Deinde undecim dedicavit Diti patri. cf. Müll. Etr. Einl. 3, 1. Liv. V, 33.

141) Müll. Etr. Einl. 3, 10. Nieb. R. G. 1. p. 125 sq.

142) Müll. et Nieb. l. l. Plin. H. N. III, 24: Rhaetos Tuscorum prolem arbitrantur a Gallis pulsos duce Rhaeto. Justin. XX, 5: Tusci duce Rhaeto avitis sedibus amissis Alpes occupavere, et ex nomine ducis gentes Rhaetorum condiderunt. Steph. Byz. s. v. Ῥαιτοί: Τυῤῥηνικὸν ἔθνος. Liv. V, 33: Alpinis quoque ea gentibus haud dubie origo est (sc. ab Etruscis), maxime Rhaetis, quos loca ipsa efferarunt, ne quid ex antiquo praeter sonum linguae, nec eum incorruptum, retinerent.

143) Vid. not. 140. Cf. tamen Müll. Etr. Einl. 3, 3.

populos refert [144]). Eodem nomine prope Padum haud procul Brixello oppidum fuit, hodie, ut Cluverius testis est, *Lucera* sive *Luzzara* vocatum [145]), cujus inter Galliae togatae urbes Ptolemaeus mentionem facit [146]). — Sinistrum Trebiae nomen multis locis, quae Umbri aliquando tenebant, repetitum Romanam superbiam de clade a Poeno accepta monuit. Nunc id oppidum memorasse sufficit, quod inter Fulginium et Spoletium situm hodie Trevi appellatur [147]), antiquitus haud dubie Trebia vocatum, quum Plinius incolas Trebiates dicat [148]).

Hae quamvis exiguae reliquiae quousque olim Umbri cis Padum habitaverint demonstrant, priusquam a Tuscis expellerentur, quorum cum illis de harum regionum principatu certamen Strabo describit, cujus locus, quem supra memoravimus, ad perantiqua tempora pertineat necesse est, quum plurimarum hujus tractus urbium Umbros dominos faciat. Id vero imperium post Etruscorum Padi transitum non diu durasse inde apparet, quod praeter Mantuam etiam Felsina, cujus nomen postea in Bononia mutatum est [149]),

---

144) Plin. H. N. III, 19 duplicem hujus nominis in Umbria urbem refert, *Nucerinos cognomine Favonienses et Camelanos*, ceteri unam. Cf. Strab. V, p. 227. Gudii inscr. 117, 4. Id oppidum hodie quoque Nocera vocatur, cf. Mannert Geogr. IX, 1. p. 473.

145) Cluver Ital. ant. p. 281.

146) Ptolem. p. 64: ἡ δὲ Γαλλία ἡ Τογάτα ἔχει πόλεις τάσδε· Πλακεντία, Φιδεντία, Βρίξελλον, Πάρμα, Ῥήγιον Λέπιδον, Νουκερία, Τάνητον, Μουτίνα, Βονωνία.

147) Mannert Geogr. IX, 1. p. 477.

148) Plin. H. N. III, 19.

149) Plin. H. N. III, 20: Bononia, Felsina vocitata, quum princeps Etruriae esset. Cf. Liv. XXXIII, 37. coll. XXXVII, 57.

non procul a serioribus Umbrorum finibus sita, tamquam duodecim Tuscarum circa Padum urbium metropolis memoratur [150]), quod fieri non poterat, nisi mature ibi Tusci consedissent. Quo facto remotiora a ceterorum Umbrorum auxilio loca certe non diutius restitisse probabile est, quam Etruriam ipsam. Utis demum Etruscorum Umbrorumque finis factus est, quem illos superasse nullum vestigium est; trans id flumen Umbri quamquam aliquot oppida, ut Ravennam Butriumque et fortasse nonnulla alia mari Utentique propinqua, a Tuscorum imperio libera servasse videntur, certe cum Etruscis permixti iisque potentia impares habitarunt, dum eadem utrisque sors a Gallis eveniret. Cis Utentem quum Senones ad Aesim usque terram occuparent [151]), Umbros tantum Picentesque reperisse videntur, eosque subegisse potius quam expulisse. Nam quum post atrocia bella Senones a Romanis expulsi essent (a. U. 471) [152]), totus hic tractus ab Umbris iterum habitatur [153]), quos incolas

---

150) Müll. Etr. Einl. 3, 3.

151) Liv. V, 35.

152) Polyb. II, 19: τῶν δὲ Ῥωμαίων ὑπὲρ τοῦ θυμοῦ (quod Galli legatos interfecissent) ἐκ χειρὸς ἐπιστρατευσαμένων ἀπαντήσαντες συνέβαλον οἱ Σένωνες καλούμενοι Γαλάται· Ῥωμαῖοι δ' ἐκ παρατάξεως κρατήσαντες αὐτῶν τοὺς μὲν πλείστους ἀπέκτειναν, τοὺς δὲ λοιπαὺς ἐξέβαλον.

153) Strab. V. p. 227: τῇ δὲ Τυῤῥηνίᾳ παραβέβληται κατὰ τὸ πρὸς ἕω μέρος ἡ Ὀμβρική, τὴν ἀρχὴν ὑπὸ τῶν Ἀπεννίνων λαβοῦσα καὶ ἔτι περαιτέρω μέχρι τοῦ Ἀδρίου. Ἀπὸ γὰρ δὴ Ῥαουέννης ἀρξάμενοι κατέχουσιν οὗτοι τὰ πλήσιον καὶ ἐφεξῆς, Σάρσιναν, Ἀρίμινον, Σῆναν καὶ Καμαρῖνον. — Περὶ μὲν γὰρ τούτους τοὺς τόπους εἰσὶ τὰ ὅρια τῆς Ἰταλίας τῆς πρότερον καὶ τῆς Κελτικῆς κατὰ τὸ πρὸς θαλάττῃ μέρος, καίπερ μεταθέντων πολλάκις τῶν ἡγεμόνων. Πρότερον μέν γε τὸν Αἶσιν ἐποιοῦντο ὅριον· πάλιν δὲ τὸν Ῥουβίκωνα ποταμόν. — Νυνὶ

Umbriam tum demum misisse eo minus verisimile est, quod vires ejus bellis contra Gallos, qui totam haud dubie gentem in potestatem suam redegerant [154]), Romanosque gestis misere debilitatae fuerant. Itaque non dubium est, quin veteres incolae Senonibus subjecti etiam post illorum irruptionem in sedibus suis remanserint, dominisque a Romanis expulsis ad pristinam agrorum possessionem redierint, quos pro advenis adhuc coluerant. Sed offendat fortasse aliquis, quod Strabo omnem inter Utentem Aesimque terram suo tempore ab Umbris incultam refert, quum Senonibus expulsis magna ejus pars a Picentibus iterum inculta fuisse, Picenique nomen ad totum hunc tractum pertinuisse videatur. Namque Polybius narrat, a. U. 522 Romanos suadente Cajo Flaminio consilium cepisse, *regionem Picentinam*, quam Senonibus eripuissent, sorte inter se dividendi, qua re concitatos Bojos maxime, ne Romanos conterminos haberent, magnum movisse bellum [155]). Unde apparet, omni tum inter

---

δὲ συμπάσης τῆς μέχρι τῶν Ἄλπεων ἀποδειχθείσης Ἰταλίας, τούτους μὲν τοὺς ὅρους ἐᾶν δεῖ· τὴν δὲ Ὀμβρικὴν καθ' ἑαυτὴν οὐδὲν ἧττον μέχρι Ῥαουέννης ὁμολογοῦσιν ἅπαντες διατείνειν· οἰκεῖται γὰρ ὑπὸ τούτων. Cf. Strab. V. p. 240: ἔστι δ' ἡ Πικεντίνη μετὰ τὰς τῶν Ὀμβρικῶν πόλεις τὰς μεταξὺ Ἀριμίνου καὶ Ἀγκῶνος.

154) Nieb. R. G. 1, p. 162.

155) Polyb. II, 21: μετὰ δὲ τοῦτον τὸν φόβον ἔτει πέμπτῳ Μάρκου Λεπίδου στρατηγοῦντος κατεκληρούχησαν ἐν Γαλατίᾳ Ῥωμαῖοι τὴν Πικεντίνην προσαγορευομένην χώραν, ἐξ ἧς νικήσαντες ἐξέβαλον τοὺς Σένωνας προσαγορευομένους Γαλάτας, Γαΐου Φλαμινίου ταύτην τὴν δημαγωγίαν εἰσηγησαμένου καὶ πολιτείαν· ἣν γε καὶ Ῥωμαίοις, ὡς ἔπος εἰπεῖν, φατέον ἀρχηγὸν μὲν γενέσθαι τῆς ἐπὶ τὸ χεῖρον τοῦ δήμου διαστροφῆς, αἰτίαν δὲ καὶ μετὰ ταῦτα πολέμου συστάντος αὐτοῖς πρὸς τοὺς προειρημένους· πολλοὶ μὲν γὰρ τῶν Γαλατῶν ὑπεδύοντο τὴν πρᾶξιν,

Aesim Utentemque, trans quod flumen Bojorum initium fuit, terrae commune Piceni nomen fuisse, alioquin enim Romani, etiamsi eam Piceni partem, quam Senonibus eripuissent, inter se distribuissent, Bojorum fines non attigissent. Et a. U. 486 quum Picentes victi essent, colonia Ariminum *in Piceno* deducta est [156]). Sed quum Romani, uti videtur post victoriam ex Picentibus a. U. 486 reportatam, magnum eorum numerum in Campaniam transduxissent [157]), in Piceno ipso ejus gentis multitudo admodum minuta fuerit necesse est; itaque haud incredibile est, Umbros ab hoc inde tempore sedes suas ad Aesim usque protulisse, Picentes in his locis reliquos inter se recipientes, (id quod eo facilius fieri potuit, quum arcta iis cum Picentibus cognatio intercederet, de qua infra pluribus dicemus). Inde Strabonis testimonium, Umbros a Ravenna ad Senogalliam usque continuos habitare explicandum est, eaque caussa fuit, cur Augustus, quum Italiam in undecim regiones divideret, agrum Gallicum [158]) inter Arimi-

---

μάλιστα δ' οἱ Βοιοί, διὰ τὸ συντερμονεῖν τῇ τῶν Ῥωμαίων χώρᾳ, νομίσαντες οὐχ ὑπὲρ ἡγεμονείας ἔτι καὶ δυναστείας Ῥωμαίους τὸν πρὸς αὐτοὺς ποιήσασθαι πόλεμον, ἀλλ' ὑπὲρ ὁλοχεροῦς ἐξανάστάσεως καὶ καταφθορᾶς.

156) Liv. epitome lib. XV: Picentibus victis pax data est. Coloniae deductae Ariminum in Piceno, Beneventum in Samnio. Cf. Vellej. 1, 15. Strab. V. p. 217. Plin. H. N. III, 20.

157) Strab. p. 251: μετὰ δὲ τὴν Καμπανίαν καὶ τὴν Σαυνῖτιν μέχρι τῶν Φρεντανῶν ἐπὶ μὲν τῇ Τυρρηνικῇ θαλάττῃ τὸ τῶν Πικεντίνων ἔθνος οἰκεῖ, μικρὸν ἀπόσπασμα τῶν ἐν τῷ Ἀδρίᾳ Πικεντίνων, ὑπὸ Ῥωμαίων μετῳκισμένον εἰς τὸν Ποσειδωνιάτην κόλπον, ὃς νῦν Παισταvὸς καλεῖται. Plin. H. N. III, 9: A Surrento ad Silarum amnem triginta millia passuum ager Picentinus fuit Tuscorum. Intus oppidum Salerni, Picentia.

158) Agri Gallici nomen terrae inter Aesim Ariminumque tractus aliquanto post demum accepisse videtur, quam Picentium inde

num et Anconam cum Umbria ipsa unam regionem efficere juberet [159]).

Cis Aesim Picentes per superi maris oram ad Matrinum usque habitabant [160]), ad occidentem versus Umbris primo, deinde Sabinis contermini. Ab hisce gentibus qui fines eos sejunxerint difficile est accurate definire, quum neque fluminum cursus, neque montium longa series interjecta sit, sed promiscue habitarint. Sed si post Anconam Cingolum, deinde Septempedam, postea Asculum Picenum, denique Hadriam ut extrema Piceni loca ponis, satis accurate, qui historicis temporibus Picentium fines fuerint, definiveris, neque quidquam est, unde antiquitus alios fuisse colligere liceat.

---

magna multitudo a Romanis in Campaniam traducta est. Nam quum Romani a. U. 486 Picentes vicissent, post quam victoriam aliqua ejus gentis pars in Campaniam abducta videtur, eos coloniam Ariminum *in Piceno* misisse modo vidimus. Sed de Pisauro Potentiaque coloniis, a. U. 570, centum annis post Gallos expulsos, octoginta fere post Picentes victos deductis loquens Livius Picenum et agrum Gallicum sibi opponit. XXXIX, 44: Eodem anno coloniae duae, Picentia in Picenum, Pisaurum in Gallicum agrum deductae sunt. — Sed agri Gallici nomen haud dubie non solum ad terrae inter Aesim Ariminumque tractum, sed ad Utentemque usque pertinuit.

159) Plin. H. N. III, 19: Jungitur his (Picentibus) sexta regio Umbriam complexa agrumque Gallicum circa Ariminum. Ab Ancona Gallica ora incipit. coll. III, 20: Octava regio determinatur Arimino, Pado, Apennino.

160) Plin. III, 18: „Picentes tenuere ab Aterno amne, ubi nunc ager Adrianus et Adria colonia." — Hi fines Vestinos simul includunt. Accuratior Strabo est, qui Matrinum flumen Piceni finem facit (p. 241); nam quod paullo ante Picentes ab Aesi usque ad Castrum pertinere dicit, id inde explicandum, quod Castrum novum extrema in litore urbs est; sed verum finem Matrinus demum faciebat.

A meridie Umbriam, quae historicis temporibus erat, Sabini attigerunt, Nare fluvio ab iis separati, sed ita ut ad ultimum ejus cursum Narnia et Otriculum etiam cis flumen in Umbrorum potestate essent [161]). De Sabinis paullo accuratius nobis hoc loco dicere liceat, quum quae iis cum Umbris ratio intercesserit magni ad nostram rem momenti sit. A septentrione Nar eos ab Umbris, Tiberis ab Etruscis separabat, ab occidente Anienis extremo cursu inter Tiberim Tiburque a Latinis sejungebantur, ad meridiem versus Aequos Marsosque, ab oriente Picentes conterminos habebant. De origine primisque eorum sedibus veterum sententiae variant. Terentius Varro scripserat, quo tempore Aborigines agrum Reatinum habitarent, virginem indigenam nobili genere natam Enyalii, quem Sabini et horum exemplum sequentes Romani Quirinum appellarent, templum intrasse. Ibi quum furore correpta Dei sacrarium ingressa esset, a Marte compressam filium peperisse, Modium Phabidium nomine, qui ubi adultus esset omnes homines forma roboreque superaret. Hunc urbis condendae desiderio ductum, magna eorum, qui Reate circumcolerent, manu collecta, Cures condidisse, quod Sabinorum caput ac metropolis habebatur, sive a Quirino, sive a voce *cures*, quae Sabinis hastam significaret, ita appellatas [162]). Cum Terentio Varrone Zenodotus Troe-

---

161) Cluver Ital. ant. p. 653. Mannert Geogr. IX, 1. p. 516.

162) Ter. Varro ap. Dionys. II, p. 112: ἐν τῇ Ῥεατίνων χώρᾳ καθ' ὃν χρόνον Ἀβοριγῖνες αὐτὴν κατεῖχον παρθένός τις ἐπιχωρία τοῦ πράπου γένους εἰς ἱερὸν ἦλθεν Ἐνυαλίου χορεύουσα· τὸν δ' Ἐνυάλιον οἱ Σαβῖνοι καὶ πάρ' ἐκείνων οἱ Ῥωμαῖοι μαθόντες Κυρῖνον ὀνομάζουσιν, οὐκ ἔχοντες εἰπεῖν τὸ ἀκριβὲς εἴτε Ἄρης ἐστὶν εἴτε ἕτερός τις ὁμοίας Ἄρει τιμὰς

zenius ita consentit, ut et ipse primas Sabinorum sedes in agro Reatino fuisse tradat, in ceteris differt. Zenodotus, Troezene natus, ex omni antiquitate unus est, quod nos quidem scimus, qui Umbrorum historiam scripserit, quam si servatam haberemus, non dubium est, quin magni ad nostram rem commodi foret. Nam pauca ejus quae supersunt fragmenta, quamquam vel ex hisce apparet librum non vacasse communi Graecorum, qui de rebus Italicis scriberent, historicorum vitio, omnes Italiae nationes institutaque ad Graecam reducendi originem, tamen haud contemnendos nuncios continent, quos Zenodotum in Ialia ipsa collegisse Müllerus videtur haud temere statuere, quamquam eum certe non omnes peninsulae regiones accurate novisse infra videbimus [163]). De Sabinis haec

---

ἔχων· οἱ μὲν γὰρ ἐφ' ἑνὸς οἴονται θεοῦ πολεμικῶν ἀγώνων ἡγεμόνος ἑκάτερον τῶν ὀνομάτων κατηγορεῖσθαι, οἱ δὲ κατὰ δυοῖν τάττεσθαι δαιμόνων πολεμιστικῶν τὰ ὀνόματα. Ἐν δὲ τοῦ θεοῦ τῷ τεμένει χορεύουσα ἡ παῖς ἔνθεος ἄφνω γίγνεται, καὶ παραλιποῦσα τὸν χορὸν εἰς τὸν σηκὸν εἰσέρχεται τοῦ θεοῦ. Ἐπειτα ἐγκύμων ἐκ τοῦ δαίμονος, ὡς ἅπασιν ἐδόκει, γενομένη, τίκτει παῖδα, Μόδιον ὄνομα Φαβίδιον ἐπίκλησιν· ὃς ἀνδρωθεὶς μορφήν τε οὐ κατ' ἄνθρωπον ἀλλὰ δαιμόνιον ἴσχει, καὶ τὰ πολέμια πάντων γίγνεται λαμπρότατος· καὶ αὐτὸν εἰσέρχεται πόθος οἰκίσαι πόλιν ἀφ' ἑαυτοῦ. Συναγαγὼν δὴ χεῖρα πολλὴν τῶν περὶ ἐκεῖνα τὰ χωρία οἰκούντων ἐν ὀλίγῳ πάνυ χρόνῳ κτίζει τὰς καλουμένας Κύρεις, ὡς μέν τινες ἱστοροῦσιν ἐπὶ τοῦ δαίμονος, ἐξ οὗ γενέσθαι αὐτὸν λόγος εἶχε, τοὔνομα τῇ πόλει θέμενος, ὡς δ' ἕτεροι γράφουσιν, ἐπὶ τῆς αἰχμῆς· κύρεις γὰρ οἱ Σαβῖνοι τὰς αἰχμὰς καλοῦσιν. Ταῦτα μὲν οὖν Τερέντιος Φάῤῥων γράφει.

163) Maximum Zenodoti fragmentum est ap. Dionysium, cujus statim mentionem faciemus. Vide praeterea Solin. II, 9: *Praeneste, ut Zenodotus refert, a Praeneste, Ulyssis nepote, Latini filio (condita est)*, quo loco non dubium est, quin Troe-

habet [164]): habitasse eos primum ut indigenas agrum Reatinum, deinde vero a Pelasgis expulsos eas sedes occupasse, quas postea tenuerint, ibique Sabinos se vocasse, quum antea Umbri appellati fuissent. Cum hoc Zenodoti testimonio Dionysius Halicarnassensis aliquot locis consentit, non memorato ejus sententiae auctore, sed illum ipsum, uti videtur, secutus. Nam de Oenotrorum genere et in Italia sedibus dicens, hos Aboriginum parentes judicat. Occupasse vero quum multa alia peninsulae loca, tum etiam Umbris aliquam terrae suae partem eripuisse circa Listam, antiquam Aboriginum metropolim atque Reate [165]). Varro autem et Zenodotus eo inter se dissentiunt, quod ille Sabinos ex Aboriginibus ortos, hic ab iis expulsos facit; quos enim Zenodotus Pelasgos vocat, haud dubie Aborigines intelliguntur, quos communis inter veteres non Graecos solum sed etiam Romanos rerum

---

zenius intelligatur. — Cf. Plut. Rom. 14. Müll. Etr. Vorerinnerung p. 3. — Durum est de Zenodoti fide testimonium Micali in „storia degli antichi popoli Italiani" 1. p. 70: Zenodoto da Troezene, compilatore d'una storia degli Umbri, ma scrittore poco avveduto, ni molto antico.

164) Zenodot. Troez. ap. Dion. II, p. 112: Ζηνόδοτος δὲ Τροιζήνιος συγγραφεὺς Ὀμβρικοῦ ἔθνους αὐθιγενεῖς ἱστορεῖ τὸ μὲν πρῶτον οἰκῆσαι περὶ τὴν καλουμένην Ῥεατίνην· ἐκεῖθεν δὲ ὑπὸ Πελασγῶν ἐξελαθέντας εἰς ταύτην ἀφικέσθαι τὴν γῆν, ἔνθα νῦν οἰκοῦσιν· καὶ μεταβαλόντας ἅμα τῷ τόπῳ τοὔνομα Σαβίνους ἐξ Ὀμβρικῶν προσαγορευθῆναι.

165) Dion. Hal. 1. p. 11: τοὺς δὲ Οἰνώτρους τῆς τε ἄλλης Ἰταλίας πολλὰ χωρία οἴομαι κατασχεῖν, τὰ μὲν ἔρημα, τὰ δὲ φαύλως οἰκούμενα καταλαβόντας, καὶ δὴ καὶ τῆς Ὀμβρικῶν γῆς ἐστιν ἣν ἀποτεμέσθαι. — Et paullo post p. 13. ubi ex Ter. Varrone veteres Aboriginum circa Reate urbes enumeravit, τὴν μὲν δὴ πρώτην οἴκησιν, inquit, Ἀβοριγῖνες ἐν τούτοις λέγονται ποιήσασθαι τοῖς τόποις, ἐξελάσαντες ἐξ αὐτῶν Ὀμβρικούς.

Italicarum scriptores sententia Pelasgos, i. e. Graecos ex ipsa Graecia ortos, statuebat. In qua narrationis diversitate si, quantum in re tam remotae antiquitatis fieri potest, accuratius utra sententia ut majorem veri speciem prae se ferens alteri praeferenda sit investigamus, apud Zenodotum primum id mirum est, quod Sabinos ab Aboriginibus Reate pulsos ea loca cepisse narrat, quae ipsius aetate tenuerint. Nam quocunque tempore Zenodotus scripsit, Reate certe semper in mediis Sabinorum finibus sita fuit, ut quid ista Zenodoti verba sibi velint non bene perspiciatur, nisi eum Sabinorum terram non accurate novisse concedere velis. Sed est etiam aliud in ista ejus narratione, quo jure offendimur. Nam consentiens apud veteres opinio erat, Aborigines ex ea ipsa, unde secundum Zenodoti testimonium Sabinos expulisse dicuntur, regione a Sabinis pulsos in Latium venisse, ibique Siculos aut subegisse aut ejecisse. Itaque si Zenodotum sequimur, quum serioribus temporibus Reate ceteraque, quae in illa vicinia ab Aboriginibus inculta fuisse creduntur, loca iterum in Sabinorum ditione sint, statuendum esset, Aborigines postea rursus a Sabinis expulsos esse. Id quamquam per se negari nequit fieri potuisse, majorem tamen alia sententia fidem meretur, quae gravissimi in hisce rebus testis auctoritate nititur. Cato enim narraverat, Sabinos primo Testrinam incoluisse vicum prope Amiternum situm; unde egressos in agrum Reatinum ab Aboriginibus habitatum impetum fecisse, eoque potitos quum multa alia oppida tum Cures condidisse [166]). Et Dionysius, qui hoc

---

166) Cato apud Dion. Hal. II. p. 112 sq: Κάτων δὲ Πόρκιος τὸ μὲν ὄνομα τῷ Σαβίνων ἔθνει τεθῆναί φησιν ἐπὶ Σαβίνου τοῦ Σάγκου, δαίμονος ἐπιχωρίου· τοῦτον δὲ τὸν Σάγκον

Catonis testimonium nobis servavit, alio loco accuratius illam Sabinorum in seriores sedes migrationem describit, non memorato auctore, sed ibi quoque Catonem haud dubie secutus. Narrat enim Sabinos nocturno impetu Listam, antiquam Aboriginum metropolim, cepisse; veteres incolas Reate confugisse, ibique receptos multa ad Listam recuperandam tentasse; quae quum vana esse intellexissent, illud oppidum agrumque diis sacrum fecisse, et qui fruges inde capturus esset diris devovisse [167]).

Sic ex Catonis testimonio Sabinos ex Amiternino agro profectos primo Listam, deinde Reate Aboriginibus eripientes videmus, quos in Latium usque Romaeque viciniam persecuti sunt; nam Regillum, unde Attus Clausus Romam transfugit, Sabinum oppidum fuit [168]),

---

ὑπό τινων Πίστιον καλεῖσθαι Δία· πρώτην δ' αὐτῶν οἴκησιν ἀποφαίνει γενέσθαι κώμην τινὰ καλουμένην Τεστρίναν, ἀγχοῦ πόλεως Ἀμιτέρνης κειμένην· ἐξ ἧς ὁρμηθέντας τότε τοὺς Σαβίνους εἰς τὴν Ῥεατίνην ἐμβαλεῖν Ἀβοριγίνων (ἅμα?) κατοικούντων καὶ πόλιν αὐτῶν τὴν ἐπιφανεστάτην Κοτυλίας πολέμῳ χειρωσαμένους κατασχεῖν· ἐκ δὲ τῆς Ῥεατίνης ἀποικίας ἀποστείλαντας ἄλλας τε πόλεις κτίσαι πολλάς, ἐν αἷς οἰκεῖν ἀτειχίστους, καὶ δὴ καὶ τὰς προσαγορευομένας Κύρεις.

167) Dion. Hal. 1. p. 12: τέτταρα δὲ ἐπὶ τοῖς εἴκοσι σταδίοις ἀπέχουσα τῆς εἰρημένης πόλεως Λίστα, μητρόπολις Ἀβοριγίνων, ἣν παλαιότερον ἔτι Σαβῖνοι νύκτωρ ἐπιστρατεύσαντες ἐκ πόλεως Ἀμιτέρνης ἀφύλακτον αἱροῦσιν· οἱ δ' ἐκ τῆς ἁλώσεως περισωθέντες, ὑποδεξαμένων αὐτοὺς Ῥεατίνων, πολλὰ πειραθέντες ὡς οὐχ οἷοί τε ἦσαν ἀπολαβεῖν, ἱερὰν ἀνῆκαν, ὡς σφετέραν ἔτι, τὴν αὐτῶν γῆν, ἐξαγίστους ποιήσαντες ἀραῖς τοὺς καρπωσαμένους αὐτὴν ὕστερον.

168) Liv. II, 16: Seditio inter belli pacisque auctores orta in Sabinis aliquantum inde virium transtulit ad Romanos. Namque Attus Clausus, cui postea Ap. Claudio fuit Romae nomen, quum pacis ipse auctor a turbatoribus belli premeretur, nec par

itemque Collatia [169]), et Niebuhrius Sabinorum in monte Capitolino urbem, cui Quirium nomen fuerit, una valle a Roma sejunctam fuisse vult [170]). Cum Catone Varro consentit, Cures, Sabinorum caput, a Reate conditas tradens; quod vero Zenodotus Sabinos ab Aboriginibus Reate expulsos narrat, quum Cato serioresque utriusque gentis sedes Aborigines a Sabinis ejectos demonstrent, nihil est nisi usitatissima in antiquis fabulis rerum gestarum inversio [171]).

Gravius est, quod Zenodotus Sabinos ex Umbris ortos testatur, de quo verborum ejus „καὶ μεταβαλόντες ἅμα τῷ τόπῳ τοὔνομα Σαβῖνοι ἐξ Ὀμβρικῶν προσαγορεύθησαν" sensu nemo dubitare potest. Cujus cognationis etiam alia vestigia sunt. — Religionis Umbrorum Sabinorumque, quamvis pauca sint, quae de utraque novimus, haud exiguam deprehendimus similitudinem, quod grave cognationis gentium ipsarum testimonium esse solet. Inter primarios Sabinorum deos Mars fuit, quem ipsi Quirinum vocabant [172]), nomine uti videtur a Sabina voce *curis*, i. e. hasta, derivato, unde etiam Juno, quae Faleriis colebatur, Curitis sive Quiritis appellata est [173]). Ad hunc fabula illa apud Varronem, quae Modium, urbis Sabinorum primariae conditorem, Martis filium facit, totius gentis originem revocat. Et sicut in Graecia coloniae ex communi

---

factioni esset, ab Regillo — Romam transfugit. cf. Dionys. V. p. 308.

169) Liv. 1, 38: Collatia, et quidquid circa Collatiam agri erat, Sabinis ademtum.

170) Nieb. R. G. 1. p. 321 sq.

171) Nieb. R. G. 1. p. 45. Anm. 106.

172) cf. supra not. 162.

173) Otfr. Müll. Etr. III, 3, 1.

urbis, quae eas mittebat, prytaneo educi solebant, ita apud Sabinos ex Martis templo proficiscebantur, ab animalibus huic numini sacris ductae. Sic Picentibus, veri Sabinorum sacro, picus, quae Marti sacrata avis fuit, dux fuisse credebatur, unde ipsum colonorum nomen derivatur [174]). Samnites, qui et ipsi ver sacrum Marti devotum erant, taurus ducebat, a Marte ad id ipsum datus [175]). Ejusque cultus ad omnes nationes Sabella stirpe ortas translatum est [176]). Hirpinos, Samnitum coloniam, lupus ducebat, quem ipsi hirpum vocabant [177]), animal Marti pariter ac picus sacrum [178]).

De Umbrorum religione in magna nunciorum penuria tabulae Eugubinae principalis fons sunt, unde nomina certe deorum discimus. Major horum inter Umbros cultui lux affulgeret, si universam tabularum linguam intelligeremus, quas maxima certe ex parte ad religionem cultusque rationem pertinere ex crebra

---

174) Strab. V, p. 240: ὥρμηνται δὲ ἐκ τῆς Σαβίνης οἱ Πικεντῖνοι, δρυοκολάπτου τὴν ὁδὸν ἡγησαμένου τοῖς ἀρχηγέταις, ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα· πῖκον γὰρ τὸν ὄρνιν τοῦτον ὀνομάζουσι καὶ νομίζουσιν Ἄρεος ἱερόν. Cf. Plin. H. N. III, 18. Fest. v. Picena regio. Silius Ital. VIII, 441.

175) Strab. V. p. 250: οἱ δ' ἐποίησαν τοῦτο καὶ τοὺς γενομένους τότε παῖδας Ἄρεως ἐπεφήμισαν, ἀνδρωθέντας δ' ἔστειλαν εἰς ἀποικίαν· ἡγήσατο δὲ ταῦρος· ἐν δὲ τῇ τῶν Ὀπικῶν κατευνασθέντος (ἐτύγχανον δὲ κωμηδὸν ζῶντες), ἐκβαλόντες ἐκείνους ἱδρύθησαν αὐτόθι, καὶ τὸν ταῦρον ἐσφαγίασαν τῷ Ἄρει τῷ δόντι αὐτὸν ἡγεμόνα κατὰ τὴν τῶν μάντεων ἀπόφασιν.

176) Micali storia etc. II. p. 133.

177) Strab. V. p. 250: ἑξῆς δ' εἰσὶν Ἱρπῖνοι, καὐτοὶ Σαυνῖται· τοὔνομα δ' ἔσχον ἀπὸ τοῦ ἡγησαμένου λύκου τῆς ἀποικίας. Ἵρπον γὰρ καλοῦσιν οἱ Σαυνῖται τὸν λύκον. Cf. Fest. v. Irpini.

178) Micali storia etc. 1. p. 277.

deorum invocatione, additis quae cuique mactandae sint hostiarum nominibus numeroque, apparet. Dii in istis tabulis haud admodum multi memorantur, sed diversis quisque cognominibus in diversas quasi personas distinctus [179]). *Marte* vero ibi cum *Jovie* et *Fiso* sive *Fisovie Sansie* longe primum inter ceteros locum obtinet, unde haud ultimum in universa Umbrorum religionee obtinuisse colligere licet [180]). Tudertium Martis cultus celebratus fuit [181]), a quo vicus urbis eorum nomen traxerat [182]); ejusdemque imagi-

---

179) Vide nomina apud Müller Etr. Einl. 1, 14. p. 51.

180) Apponam locos, in quibus Martis nomen in tabulis deprehenditur, ex sextae septimaeque, quae latinis litteris inscriptae sunt, antica (secundum Dempsteri computationem) et ex quarta Umbrice scripta. Verba ipsa interpreter non opus est, cf. de iis maxime Müll. Etr. Einl. 1, 13 — 15.

tab. VI. a. lin. 1: buf trif fetu *marte grabovei*
IV. b. lin. 11: tre buph phetu *marte krapuvi*
VI. a. lin. 43: vitlu toru trif fetu *marte horse*
IV. a. lin. 1: treph vitluph turuph *marte horse* phetu
VII. a. lin. 6: porca trif rofa ote peia fetu *prestote serfie serfer martier*
IV. a. lin. 27; tre purka ruphra ute peia phetu *prestate serphie serphe marties.*

Praeterea Martis *Serphe* cognominati nomen hisce locis reperitur: tab. VI. a. lin. 57. 61. tab. VII. a. l. 3. 9. 10. 11. 13. 15. 16. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 27. 28. 32. 33. 34. 35. 36. 41. tab. IV. a. l. 24. 31. *Grabovei* et *Horse* Martis cognomina praeter eos, quos modo attulimus, locos in tabulis ni fallor non deprehenduntur.

181) Silius Ital. 4, 222: Et Gradivicolam celso de colle Tudertem.
8, 462: Nec parci Martem coluisse Tudertes.

182) Vicani vici Martis Tudertium memorantur in inscr. ap. Gruter. p. 423, 1. 1032, 1. 1087, 9. Smetius 74, 10 in tergo. Muratori inscr. 844, 9.

nem lapides Tudere et Camerini reperti repraesentant [183]). —

Alter, qui in tabulis saepissime memoratur, deus *Fiso Sansie* sive *Fisovie Sansie* [184]), non dubium est, quin Sabinorum Sancus sit [185]), cujus cultus Romam quoque transiit, ubi in monte Palatino templum habuisse videtur [186]). Itaque ii Dii, quorum cultus Sabinis sic proprius fuit, ut ab his ad alias Italiae nationes transisse videatur, cum Umbris iis communes fuere, unde magna profecto antiquae inter utramque gentem cognationis species nascitur. Haec aliis indiciis magis etiam augetur. Picentes, cum Sabinis tam arcte cognati, ut ab iis orti dicantur, cum Umbris ita cohaerent atque conjuncti sunt, ut cognationis cum his quoque suspicio non possit non nasci. Nam nullis a natura finibus inter se sejuncti alteri juxta alteros habitabant, neutra gens alteri subjecta, sed liberi utrique, uni nationi diversis nominibus quam diversis nationibus similiores. Scylax in periplo omne Picenum Umbriae nomine complectitur. Nam post Samnites, quos ab

---

183) Gudii inscr. 38, 8. 37, 2.

184) V. g. tab. VI. a. l. 3: sif filiu trif fetu *fiso sansie.*
IV. b. l. 14: treph siph pheliuph phetu *phise sasi*
VI. a. l. 12. 13: *fisovie sansie* salvo seritu ocrem fisi totam Jovinam *fisovie sansie* salvo seritu ocrer fisier totar Jovinar nome.

185) Müll. Etr. Einl. 1, 14. p. 52. Micali storia etc. II. p. 135.

186) Liv. VIII, 20: aedes ejus, quae essent in Palatio, diruendas, bona Semoni Sanco censuerunt consecranda, quodque ex iis aeris redactum est, ex eo aenei orbes facti, positi in sacello Sanci versus aedem Quirini. — Velitris quoque Sanci templum fuisse Liv. XXXII, 1. docet: Veliterni (nunciarunt) Apollinis et Sanci aedes (de coelo tactas esse).

altero mari ad alterum habitantes facit, Umbri statim apud eum sequuntur [187]). Qui Samnitum Umbrorumque fines essent non accuratius descripsit, sed non dubium est, quin recte Niebuhrius judicaverit, Frentanos, Pelignos, Marrucinos et Vestinos, qui inter Garganum, Japygiae finem, Picenumque oram maritimam incolunt, apud Scylacem Samnitibus, quibuscum arcta cognatio iis, quippe qui et ipsi Sabella stirpe essent [188]), intercedebat, additos esse, Picentes Umbris [189]). Id quod, nisi summa utriusque gentis

---

187) Scylax peripl. p. 6 (Huds). In libris Scylacis omnibus nomen gentis, quae post Japyges in ora usque ad Umbros habitet, Δαυνῖται, non Σαυνῖται, legitur, quem librariorum errorem Nieb. R. G. 1. p. 104. not. 93 correxit.

188) De Pelignis, Marrucinis et Vestinis vid. Nieb. R. G. 1. p. 111 sq. de Frentanis Strab. V. p. 241. Micali storia etc. 1. p. 277. Nieb. R. G. 1. p. 103.

189) Nieb. R. G. 1. p. 104. — Memorabilis est Umbrorum memoria in Gargano monte hodie quoque ita servata, ut lata vallis eorum nomen ferat. Micali ipsius, qui hanc vallem suis oculis inspectam accuratius descripsit, verba apponam (storia 1. p. 71): Nè parrà cosa di poco momento, che pure oggidì quasi nel centro degli alti e selvosi monti del Gargano si ritrovi una estesa valle, mai sempre chiamata dai paesani *Valle degli Umbri.* Per informazioni tolte sul luogo stesso la valle tutta boschiva, dove fra due colline si trova così detto *catino d'Umbra*, nascente di sorgente perenni, è contigua ad altro bosco chiamatovi Umbricchio: indi, verso settentrione, confina col bosco detto il *Cognetto d'Umbri.* Vedine il sito ben distinto nella carta geogr. del regno di Napoli di Rizzi Zannoni 1769. — Quibus vestigiis Micali adductus est, ut Scylacem Umbris omnem inde a Gargano oram tribuisse colligeret, non considerans, sic Samnitibus, quos periplus inter Japyges Umbrosque ab altero mari ad alterum habitantes facit, nullum locum relinqui; Japygia enim inde a Siri ad Garganum usque patebat (Scyl. peripl. p. 5. Nieb. R. G. 1. p. 163). Quomodo Umbri in Garganum venerint

similitudo erat, qualis cognatorum esse solet, fieri non poterat. Hanc vero cognationem si concedimus inter Umbros atque Picentes, non possumus quin eandem inter Sabinos Umbrosque agnoscamus, nisi vera esse negamus, quaecunque de Sabina Picentium origine referuntur.

Jam vero si demonstratum est, Zenodoti narrationem, quatenus ad Sabinorum cum Umbris cognationem pertinet, fidem mereri, quid de Varronis testimonio statuamus Sabinorum originem ab Aboriginibus repetentis? Cujus auctoritas quum in ceteris non contemnenda sit, tum in iis, quae ad Aborigines pertinent, praecipua esse videtur, de quibus diligentissime eum quaesivisse credibile est, quum antiquas eorum in Sabinorum terra sedes ipse indagaverit, oppidorumque, quae triginta numero fuisse refert, non nomina solum, sed satis accuratos etiam de iis nuncios memoriae tradiderit, quales nisi qui ipsis oculis loca inspexerat dare non poterat [190]). Itaque quum illud ejus testimonium haud temere rejiciendum sit, superest ut Aborigines ipsos Umbros aut iis cognatos statuamus. Quam sententiam Niebuhrius, primus quod scio inter recentiores, in prima Historiae Romanae

---

dubitari potest. Ex cognatione eorum cum Sabinis hae sedes explicari nequeunt, haec enim loca a Sabellis nunquam occupata sunt. Veri simillimum est, hos Umbros eorum reliquias esse, qui Dionysio teste Ol. 64. una cum Etruscis a supero mari profecti vanum in Cumam impetum fecerant (cf. supra not. 11). Hi enim necesse est, antequam in Campaniam irrumperent, longum per Adriatici maris oram ad meridiem versus iter perfecerint; ubi enim Campaniam invadunt, Daunii cum iis memorantur, ipso haud dubie impetus vi ut migrationis participes fierent coacti, quorum sedes ad septentrionem versus Garganus finiebat.

190) Dionysius Halicarnassensis 1, 14. p. 11.

editione ita proposuerat, ut satis de ejus veritate persuasus videretur [191]); in novissima vero libri sui editione quamquam istam conjecturam non rejecit, dubitantius tamen de ea loquitur [192]). Equidem quum accuratius in rem investigarem, ab initio ut falsam potius quam veram Niebuhrii sententiam invenirem cupiens, quia si vera esset multa, quae de istarum Italiae gentium ratione tum statuebam, rejicienda esse intelligebam: tamen quaerendo ipso eo perveni, ut nihil nunc mihi magis persuasum sit, quam Aborigines aut Umbros, aut, quod fere idem est, arcte iis cognatos esse. Quae sententia si vera esse deprehenditur, haud exigui momenti est ad investigandam populi Romani remotissimam antiquitatem.

Consentiens antiquitatis testimonium est, ei genti, quae ex urbis Reate vicinia in Latium migraverit, Aboriginum nomen fuisse, ut quae ab origine terram incoluisset. Quod nomen quamquam propter id ipsum quod significans est sera fictio videri potest, satis tamen antiquum est [193]). Sed verior haud dubie populi appellatio *Casci* fuit a Virgilii interpretibus servata [194]), quae deinde ad omnia vetustate obsoleta transiit. Iidem Sacrani quoque vocati esse videntur [195]), sive id nomen inde ortum est, quod ver sacrum esse ferebantur [196]), sive ea fabula ipsa ex illo

---

191) Niebuhr Röm. Gesch. 1. p. 117 (Erste Ausgabe).

192) Nieb. R. G. 1, 92. (editio novissima).

193) Nieb. R. G. 1. p. 90.

194) Cf. Nieb. R. G. 1. p. 88.

195) Serv. ad Virg. Aen. VII, 796. coll. Dion. Hal. p. 13. Vid. Nieb. R. G. 1. p. 88.

196) Dionys. Hal. 1. p. 13: ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι οἱ Ἀβοριγῖνες — ὑπὲρ τῆς χώρας ἐπολέμουν· τὸ μὲν πρῶτον ἱερά τις

nomine originem duxit. Quarta denique ejusdem gentis denominatio apud Varronem de L. L. [197]) esse videri potest, ubi, si vulgatam sequeris, Palatium, urbis Romae regionem, aut a palantibus Evandri comitibus, aut a Palatinis, *qui et Aborigines,* ex agro Reatino, qui Palatium appelletur, eo migrantibus dictum refert. Sed haec verba si genuina sunt, haud dubie non ita intelligi debent, quasi omnes Aborigines etiam Palatini vocati fuerint, sed Palatinos, qui in monte Palatino consederint, etiam Aborigines dictos fuisse; nam Varro ipse inter horum urbes Palatium memoraverat. Accedit vero, quod locus admodum corruptus est, ut certi nihil inde colligi queat.

Sed Niebuhrius huic genti etiam id nomen eripere conatus est, quod ejus ex omni memoria usitatissimum fuit. Nam quum Aboriginum nomen haud dubie eos significet, qui ab origine terram incoluerunt, i. e. quos nulla memoria est unquam immigrasse, is vero populus, qui agro Reatino pulsus, Siculis aut ejectis aut sub imperium redactis, in Romae vicinia consedit, Latii indigena dici non possit, Niebuhrius non hunc, sed Siculos, ab initio Aborigines vocatos esse contendit. Varronem, erroris auctorem, ad Cascos, quorum nomen in communi memoria interiisset, Aboriginum appellationem transtulisse, eumque errorem a Dionysio magis etiam divulgatum esse. Catonem vero, quem Dionysius testatur idem iis nomen tribuisse [198]), male ab hoc intellectum esse [199]). Sed praeterquam

---

ἐξελθοῦσα νεότης, ἄνδρες ὀλίγοι, κατὰ βίου ζήτησιν ὑπὸ τῶν γειναμένων ἀποσταλέντες, ἔθος ἐκπληροῦντες ἀρχαῖον etc.

197) Varro de L. L. lib. V. cap. 8. p. 16. Bip.

198) Dion. Hal. II. p. 112. sq.

199) Nieb. R. G. 1. p. 90. 91.

quod Niebuhrius hanc opinionem nullo modo comprobare potest, etiam illud argumentum, gentem ex agro Reatino in Latio advenam non potuisse Aborigines dici, quoniam Latii non esset indigena, prorsus concidit, si non Latii majori jure quam totius Italiae antiquissimos incolas Aborigines dici potuisse consideraveris, neque opus esse, seriores, sive Latini fuerunt, sive Romani demum, parentibus suis id nomen tribuisse, quod Latii eos indigenas existimarent, sed quod eos Italiam in universum ab omni tempore incoluisse memoria servata esset. Quod nomen, si verum est quod supra posuimus, Cascos Umbros fuisse, optimo jure Siculouum victoribus convenit, quum ex communi antiquitatis sententia Umbri vetustissimi Italiae incolae haberentur [200]). Itaque nos quidem antiquum usum secuturi non Siculos, sed qui eos superarunt, Aborigines vocabimus.

Quae fuerit antiqua horum antequam a Sabinis expellerentur patria ex Dionysio, qui ipsa Varronis verba refert [201]), discimus. Quo loco quamquam singula oppidorum, quae Aboriginibus olim habitata fuerint, nomina spatiique, quo inter se sejuncta sint, ratio admodum vitiata esse videntur [202]), omnia tamen in urbis Reate vicinia non procul Apennino sita, nonnullaque ipsius Dionysii aetate reliqua fuisse expressis verbis affirmatur. Itaque sedes ipsae ad excitandam cognationis Aboriginum cum Umbris suspicionem faciunt, qui ut postea nullis a natura finibus a Sabinis sejungebantur, ita priore tempore Aboriginibus

---

200) Cf. supra not. 6.

201) Dion. Hal. 1, 14. p. 11.

202) Cf. de universo loco Cluver. Ital. ant. p. 681 sq.

Reate circumcolentibus contigui habitabant [203]), non ut diversus populus, sed ut ejusdem familiae homines. Quamquam hoc quidem argumento non multum comprobare in mente est. Nam etsi vel parvi populi diversa stirpe oriundi non promiscue habitare solent, sed finibus a natura constitutis a vicinis tuti, fieri tamen poterat, ut Umbri et Aborigines, quamquam nullo cognationis vinculo conjuncti, permixti potius quam sejuncti alteri juxta alteros terram incolerent. Sed alia argumenta praesto sunt. Inter quae haud ultimum est, quod sententiam de Umbrorum cum Aboriginibus cognatione jam in antiquitate ipsa valuisse demonstrari potest. Cujus rei apud Dionysium haud obscurum indicium est. Cui cum consilium sit populum Romanum et quaecunque Italiae posset nationes ad Graecam reducendi originem, ipse quidem Aborigines ab Oenotris, quamquam dubitantius quam solet, ortos esse statuit, hoc argumento usus, quod Porcius Cato et Cajus Sempronius, diligentissimi rerum Italicarum scriptores, ex Graecia oriundos eos statuerint. Id si verum sit, nullos Graecos tam antiquis temporibus in Italiam migrasse, a quibus Aboriginum origo repeti posset, nisi Oenotros, itaque hos Aboriginum parentes fuisse [204]). Quam Dionysii ratiocinationem facile missam faciemus. Gravius esset propter hominum auctoritatem Catonis atque Sempronii testimonium, quo Aborigines Achaei, i. e. Pelasgi ex Graecia profecti, dicuntur [205]), nisi satis hodie post Nie-

---

203) Nieb. R. G. 1. p. 92.

204) Dion. Hal. 1. p. 9. 11. 75. 77. 103.

205) Dion. Hal. 1. p. 9: οἱ δὲ λογιώτατοι τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων, ἐν οἷς ἐστι Πόρκιός τε Κάτων, ὁ τὰς γενεαλο-

bulrium et Otfr. Müllerum constaret, quid in his rebus vel de Catonis, summi alioquin et diligentissimi scriptoris, fide statuendum sit, qui Graecas fabulas secutus [206]), quibus parum abest quin universi orbis incolae ad Graeciam tamquam ad communem fontem reducantur, Graecas Italiae gentibus genealogias substituit. Quae genealogiae inter Graecos ipsos quomodo ortae sint ratio praesto est, ex qua ipsa quatenus fides iis habenda sit apparet. Nam serioribus quidem temporibus saepe factum est, ut merae adulationis caussa barbaros populos eorumve reges ficta artificiosaque ratione Graecae stirpis participes facerent, id quod Tarentinis accidit, quum potentium vicinorum gratiam sibi conciliaturi Samnitibus Lacones intermixtos fuisse contenderent [207]), quod idem alii non verius de Sabinis ipsis narrarunt [208]). Talis vero adulatio in ea tempora non cadit, quibus Graeci Oenotrorum, Peucetiorum aliarumque gentium ex Graecia in Italiam migrationes finxerunt, quae magnam peninsulae partem occuparent. Itaque alia caussa fuerit necesse est, cur eas excogitarent. Nimirum si similitudinem aliquam et internam quasi cognationem sibi cum gente

---

γίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγών, καὶ Γάϊος Σεμπρώνιος καὶ ἄλλοι συχνοί, Ἕλληνας αὐτοὺς εἶναι λέγουσι τῶν ἐν Ἀχαΐᾳ ποτὲ οἰκησάντων, πολλαῖς γενεαῖς πρότερον τοῦ πολέμου τοῦ Τρωϊκοῦ μεταναστάντας.

206) Müll. Etr. Vorerinnerung p. 5.

207) Strab. V. p. 250: τινὲς δὲ καὶ Λάκωνας συνοίκους Σαυνίταις γενέσθαι φασὶ καὶ διὰ τοῦτο καὶ φιλέλληνας ὑπάρξαι, τινὰς δὲ καὶ Πιτανάτας καλεῖσθαι. Δοκεῖ δὲ καὶ Ταραντίνων πλάσμα τοῦτ' εἶναι κολακευόντων δμόρους καὶ μέγα δυναμένους ἀνθρώπους. Cf. Nieb. 1. p. 115.

208) Dion. Hal. II, 49. p. 113. Cf. Nieb. 1. p. 116.

aliqua intercedere animadverterent, id aliter explicari non posse existimabant, quam ut alterius originem ad ipsorum patriam revocarent, unde antiquitus profecta novas sedes occupaverit. Quae opinio ne hodie quidem sublata est; nam sunt qui vel maximas nationes si linguae morumque similitudine cognationem quandam produnt, utique ex communi radice ortas existiment. Quod si negari nequit fieri potuisse, certe ante omnem historiam factum est; quae ubi primum rebus humanis lucem afferre coepit, in vicinis naturaque ipsa cognatis terris cognatas plerumque nationes ostendit. Ita Graeciae Italiaeque gentes cognatae erant, neque Italiam majore jure dixeris a Graecia incolas accepisse, quam ei dedisse. Graeci vero quum necessitudinem illam, quae ipsis cum Italiae nationibus esset, animadvertissent, nihil prius habebant, quam ut antiquis temporibus colonias ex Graecia in vicinam peninsulam transisse fingerent, quae Pelasgicos ei incolas darent. Quod si de inferioris tantum Italiae incolis, Oenotris atque Peucetiis, referrent, in quibus multa conveniunt, quae arctiorem eorum cum Graecis cognationem prodere videntur, nescio an fidem iis non denegaremus; ad superiorem vero Italiam eas, quae existimantur, ex Graecia colonias venisse prorsus improbabile est. Itaque nos quidem Pelasgicam plerarumque gentium Italicarum originem non agnoscemus, nisi forte omnes, quae antiquissimis Graeciae incolis similes sint, nationes hoc nomine comprehendere velis. — Quare Catonis quoque atque Sempronii testimonium, Aborigines ex Graecia oriundos esse, missum faciamus, de quo vel Dionysius, qui nihil antiquius habebat, quam ut, si fieri posset, universam Italiam ex Graecia derivaret, paullulum dubi-

tavit, quum illi qua auctoritate niterentur non addidissent [209]).

Sed redeamus unde supra profecti sumus, apud Dionysium ipsum alterius sententiae vestigium esse, qua Aborigines Umbri existimantur; quae, si quid video, unice vera est. Nam ubi de Graeca Aboriginum per Oenotros origine locutus est, ita pergit: Sin quis haec credere nolit, certe non temere eos a Liguribus aut Umbris aut aliis barbaris oriundos credat [210]). Unde haud inusitatum tum temporis fuisse apparet, Aborigines ad Ligusticam aut Umbricam reducere stirpem. Quod ad Ligures pertinet, quos olim per inferi maris oram in Latium usque habitasse supra demonstravimus, id ipsum, quod ea aliquando in Latio loca tenuerunt, ubi postea Aborigines consederunt, in caussa fuisse videtur, cur horum parentes statuerentur; nam praeter Dionysium, qui alio quoque loco hujus cognationis mentionem facit [211]), nullum ejus vestigium

---

209) Dion. Hal. 1. p. 9: οὐκέτι μέντοι διορίζουσιν οὔτε φῦλον Ἑλληνικόν, οὗ μετεῖχον, οὔτε πόλιν, ἐξ ἧς ἀπανέστησαν, οὔτε χρόνον, οὔθ' ἡγεμόνα τῆς ἀποικίας, οὔθ' ὁποίαις τύχαις χρησάμενοι τὴν μητρόπολιν ἀπέλιπον· Ἑλληνικῷ τε μύθῳ χρησάμενοι οὐδένα τῶν τὰ Ἑλληνικὰ γραψάντων βεβαιωτὴν παρέσχοντο. Τὸ μὲν οὖν ἀληθὲς ὅπως ποτ' ἔχει ἄδηλον.

210) Dion. Hal. 1. p. 11: εἰ δέ τινες πεφύκασι μὴ ταχεῖς εἶναι περὶ πραγμάτων παλαιῶν ἀβασανίστως τὰ λεγόμενα δέχεσθαι, μὴ ταχεῖς ἔστωσαν μηδὲ Λίγυας ἢ Ὀμβρικοὺς ἢ ἄλλους τινὰς βαρβάρων αὐτοὺς νομίσαι.

211) Dion. Hal. 1. p. 9: ἄλλοι δὲ Λιγύων ἀποίκους μυθολογοῦσιν αὐτοὺς (Ἀβοριγῖνας) γενέσθαι, τῶν ὁμοροούντων Ὀμβρικοῖς· οἱ γὰρ Λίγυες οἰκοῦσι μὲν καὶ τῆς Ἰταλίας πολλαχῇ, νέμονται δέ τινα καὶ τῆς Κελτικῆς· ὁποτέρα δ' αὐτοῖς ἐστι γῆ πατρὶς ἄδηλον· οὐδὲ γὰρ ἔτι λέγεται περὶ αὐτῶν προσωτέρω σαφὲς οὐδέν.

est. Umbrorum vero cum Aboriginibus necessitudinis multa indicia.

Siculos communis sententia erat ab Aboriginibus Latio expulsos esse [212]), Philistus autem Syracusanus ab Umbris atque Pelasgis eos ejectos referebat [213]), sive hic quoque simili quam Cato aliique errore captus, Umbrisque Pelasgos commiscens, ut Cato atque Sempronius Aboriginibus, sive, quod de eo, qui Siculos tum temporis in multis insulae regionibus reliquos accurate nosse debebat, et si quae expulsionis ex Italia fama inter eos servata erat, hanc ab ipsis accipere poterat, verisimilius est, eos Pelasgos intelligens, qui quum ab Asiae minoris ora, unde Tyrrhenorum cognomen in Italiam transtulerunt, longe per maria palati ad occidentalem Italiae oram pervenissent, ibi in meridionali Etruriae parte prope Tiberim inter Umbros, qui tum ibi quoque habitabant, consederunt, et ipsi Siculos inde ejicientes [214]), quorum antiquas in hac regione urbes, Agyllam, (Pisam?), Saturniam, Alsium, Falerios Dionysius memorat [215]). Quod vero Antiochus pro Aboriginibus Umbros Siculorum victores appellat, non temere factum esse judicari potest, ubi multa Umbros eosdem esse atque Aborigines demonstrant. Inter antiquissima Latii oppida Cameria fuit et Ameriola, quas suo tempore non amplius exstitisse Plinius scribit [216]). Utramque a Tarquinio Prisco bello superatam, quum Latini arma contra

---

212) Nieb. R. G. 1. p. 87. 88.

213) Cf. supra not. 38.

214) Vid. de hisce Pelasgis Müll. Etr. Einl. 2.

215) Dion. Hal. 1. p. 16.

216) Plin. H. N. III, 9.

Romam sumsissent, Livius refert [217]). Umbricae has urbes originis esse nomina satis demonstrant, quum noti sint in Umbria Camertes [218]), qui Clusium quoque in Etruria olim tenebant, tum temporis Camars dictum [219]), et Ameria [220]), quam gentem item trans Tiberim in Etruriam radices egisse castellum Amerinum [221]) testimonio est. Dionysius vero Cameriam inter clarissima Aboriginum oppida fuisse, deinde ab Albanis colonos accepisse testatur [222]), ut hic quoque Umbros atque Aborigines eandem gentem esse videamus. —

Sic jam ista apud Varronem fabula, Sabinos esse Aboriginum coloniam, cum Zenodoto consentit, cui antea repugnare videbatur. Varronis enim Aborigines nihil nisi Zenodoti Umbri sunt. — Modii, quem Cures condidisse Varro narrat, sors mire congruit cum Romae conditorum sorte. Illius enim mater ut Rhea Sylvia a Marte, principe Umbrorum deo, compressa filium peperit, qui Sabinorum caput condidit, ut Romulus

---

217) Liv. 1, 38: Inde priscis Latinis bellum fecit. Ubi nusquam ad universae rei dimicationem ventum est, ad singula oppida circumferendo arma omne nomen Latinum domuit. Corniculum, Ficulea vetus, *Cameria*, Crustumerium, *Ameriola*, Medullia, Nomentum, haec de priscis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, capta oppida. De eodem bello cf. Dion. Hal. III, p. 188. Vid. etiam V, p. 307. 316.

218) Plin. H. N. III, 19.

219) Cf. supra not. 41. 43.

220) Plin. H. N. III, 19. Strab. V. p. 227. Gudii Inscr. p. 117, 4.

221) Cf. supra.

222) Dion. Hal. II. p. 114: ἦν δὲ Ἀλβανῶν ἀπόκτισις ἡ Καμερία πολλοῖς χρόνοις ἀποσταλεῖσα πρότερον τῆς Ῥώμης· τὸ δ' ἀρχαῖον Ἀβοριγίνων οἴκησις ἐν ταῖς πάνυ ἐπιφανής.

et Remus Romam, Latinorum primariam urbem. Quam narrationis congruentiam cave ne inde explices, quod Sabini suam secum fabulam Romam transtulerint. Romana enim fabula Romulum Titumque Tatium sibi opponens accurate Latina Sabinaque elementa sejungit, Latina ad Romulum referens; nec si Sabinae narratio ista esset originis, in tanta fabularum mobilitate, ad Albam, Latinam urbem, omnia retulisset. Ipsum Quirini cognomen, Sabinae haud dubie originis, Romulo post mortem demum delatum, mere Latinum hunc ostendit, cujus Sabini post obitum demum participes facti sint. Ne Mars quidem, Romanorum pater, Sabinis magis quam Aboriginibus debetur; neque lupus, Marti sacrum animal, qui fratres nutriebat, a Sabinis demum fabulae illatus esse censendus est, quod vel inde apparet, quod ejus jam in Lavinio condendo mentio fit. Neque picus, quem inter Umbros Sabinosque Marti consecratum supra vidimus, in Aboriginum fabulis omissus est, quorum rex Picus, Saturni filius, Fauni pater, Latini avus fuisse in fabulis ferebatur; et Romulo Remoque praeter lupam etiam picus victum attulit, ut Ovidius in Fastis narrat[223]). — Umbri historicis temporibus in quindecim populos divisi erant, quorum nomina in inscriptionibus servata sunt[224]). Hic numerus duplicatus est in triginta Latinorum urbibus, sive post Trojanorum ad-

---

223) Dion. 1, 59. p. 48. Virg. Aen. 7, 48. Ovid. Fast. 3, 53.

224) Inscriptio apud Gudium p. 117, 4: Amerini, Assisinates, Foro Flaminienses, Fulginates, Hispellenses, Iguvini, Interamnates, Menavates, Narnienses, Nucerini, Ocriculani, Spoletini, Trebiates, Tudertini, Vettonienses. Cf. Lepsium in dissertat. de tabulis Eugubinis p. 3. — Umbriae populos non memorato eorum numero, jam Livius commemorat IX, 41. XXVIII, 45.

ventum alteras quindecim Aboriginum urbibus additas censemus, sive, quod mihi quidem probabilius videtur, Aborigines Latii victores priscos terrae incolas, quotquot eorum non emigrarent, aequali urbium numero inter se receperunt, ut Romae Ramnibus Titiensium tribus addita est, quum Sabini in unum cum Romanis populum coalescerent [225]).

His indiciis quum vel maxime probabile fiat, Aborigines ex Reate oppidi vicinia in Latium commigrantes Umbros fuisse, haud mediocriter ea sententia confirmatur Latinae linguae cum Umbrorum in tabulis Eugubinis lingua comparatione facta, quae arctam utriusque cognationem perspicue demonstrat. Sed quum nobis non sit propositum hoc loco pluribus de hac re disputare, ad Müllerum maxime, qui accuratissime adhuc de illa Umbricae Latinaeque linguae affinitate egit [226]) relegamus, ipsi alio loco proposituri, quae nostra in tabulas Eugubinas inquisitio nos docuit.

Sonorum — ut ab elementis incipiamus — utriusque linguae congruentia ex alphabetorum comparatione cognoscitur. Umbrica enim lingua ut Romana quinque vocales omnesque medias atque tenues habet, ex aspiratis *th* admodum incertum est [227]), *ch* deest ut apud Romanos, quum aliae Italiae linguae, ut Tusca, longe differant. In flexionibus verborum magna tabularum Eugubinarum Latinaeque linguae similitudo est. Masculini generis inter Umbros character *u* (o) est, femi-

---

225) Nieb. R. G. 1. p. 329.

226) Müll. Etr. Einl. 1, 13 — 15.

227) Müll. Etr. Einl. 1, 14. p. 49. Lepsius de tabb. Eugub. p. 46.

nini *a*. Nominativus masc. secundae declinationis in *ur* aut *or* exit, qua in terminatione *r* saepissime cum *s* alternat. Accusativus masc. in *om* terminatur, femininus in *am*; *em* et *im* cum accus. tertiae declinationis latinae congruit. Dativi tertiae declinationis signum *i* et *e* fuisse videtur, ut antiquitus apud Romanos [228]). — Nominum numeralium apud Umbros Latinosque congruentiam Müllerus ostendit [229]). — Littera *r*, Graecis ad flectenda verba prorsus inusitata, Romanis autem et in declinatione et in conjugatione multum adhibita, apud Umbros vel maxime in usu fuit, ex qua una re etiam Müllerus Aborigines Reate ortos, qui hanc litteram Siculorum linguae intulerint, Umbris arcte cognatos fuisse collegit [230]). Et profecto asper iste sonus asperis Apenninorum montium incolis magis quam mollioribus maris accolis convenit. — Sed Latinae illa Umbricaeque linguae similitudo vel in iis rebus cognoscitur, in quibus, utpote quae casu potius quam certa aliqua ratione contineri videantur, ne cognatas quidem linguas convenire exspectaveris. In latina lingua multa vocabula sunt, quorum duplex forma exstat, brevior altera, altera longior, quarum haec vocali in duas distractae litteram *h* interponit, ut *nehemo*, *nemo*, *vehemens*, *vemens*, *nihil*, *nil*, *mihi*, *mi*, *mehe*, *me*, *prehendo*, *prendo*, *cohors*, *cors*. Quorum verborum quum vulgo statueretur longiorem plenioremque formam antiquiorem esse, alteram inde contractam, jam Schneiderus suspicatus est, breviorem formam antiquiorem esse, al-

---

228) Schneider Gramm. der lat. Spr. 1, 2. p. 200.

229) Müll. Etr. Einl. 1, 14. p. 52 sq.

230) Müll. Etr. Einl. 1, 15. p. 56.

teram inserta *h* inde ortam [231]). Id quod Lepsius ex tabulis Eugubinis verum esse nuper comprobavit [232]). In his enim eadem formarum discrepantia deprehenditur, et quum in tabulis latine scriptis *persnihimu*, *caterahamo*, *sahatam*, *trahaf*, *sahate* legatur, Umbrice scriptae *pesnimu*, *kateramu*, *satame*, *traf*, *sate* habent, quam formam altera priorem esse inde apparet, quod aliis ex argumentis tabulas Umbrice scriptas latine scriptis antiquiores esse constat.

Vocabulorum autem ipsorum, quae cum Latinis congruant, magnus in tabulis Eugubinis numerus est, quem multo etiam, si accuratius in eas inquisitum fuerit, auctum iri certissimum est. Neque illa cognatio ad eam tantum latinae linguae partem, quae a Graeca aliena est, pertinet, sed haud pauca in tabulis vocabula deprehenduntur, quae in Graeca lingua reperimus, magnaque flectionum similitudo est, ut Umbros quoque Graecis cognatos non possis non agnoscere. Quare qui duplex in lingua Romana elementum reperisse sibi videntur, alterum Graecum a Siculis profectum, barbarum alterum ab Aboriginibus illatum, vereor ne satis recte viderint. Equidem certe cur Siculos Graecis arctius quam Aborigines cognatos statuamus nullam video caussam, et antiquitas latinae linguae cum graeca similitudinem Aboriginibus et qui cum iis Latio potiti essent Pelasgis tribuebat, Siculos barbaros vocabat [233]).

---

231) Schneider Gramm. der lat. Spr. 1, 1. p. 118 c. not.

232) Lepsius de tabulis Eugub. p. 92. 93.

233) Erroris hoc loco mentio facienda est, in quem Niebuhrium incidisse jure mireris. Is enim R. G. 1, p. 163 Romanis legato Tuscae linguae gnaro ad agendum cum Umbris de pace opus fuisse (a. U. 444.) tradit, quasi Umbri ipsi linguam Etrus-

Quae prima caussa fuerit, cur Umbri, quos posteri in Latio Aborigines appellarunt, ex Reate urbis vicinia in Siculorum sedes immigrarint, nemo se invenisse pro certo affirmabit. A Sabinis eos expulsos esse Zenodotus narraverat, haud sine magna veritatis specie, ut supra vidimus, quum Sabinos postea in illa vicinia habitantes videamus. Sabinis, Umbricae et ipsis originis, quae caussa fuerit, cur cognatos sedibus ejicerent, mihi quidem non in mente est serio quaerere, nam ubi certi nihil repertum iri apertum est, ne quaesivisse quidem operae pretium. Fortasse tamen Sabinorum immigratio cum Etruscorum in superiore Italia imperii propagatione cohaeret, quae magnum populorum per universam Italiam motum effecerit necesse est. Nam haud incredibile est, Sabinos aliquando inter ceteras Umbrorum gentes eas superioris Italiae regiones incoluisse, quibus Etrusci postea potiti sunt. Ravenna certe a Sabinis aut condita aut certe habitata dicitur [234]), quos incolas non veri simile est urbem tum demum accepisse, quum Sabini vere sacro emisso Picenum occuparent, quae terra tam late ad septen-

---

cam aut adhibuissent aut certe intellexissent. Locus, quo nititur, est apud Liv. IX, 36, sed perverse a Niebuhrio intellectus. Nam quem Romani miserunt legatus linguam Tuscam propterea nosse debebat, ne inter Etruscos, quos exploraturus erat, cognosceretur, non ut cum Umbris ageret. Quid quod ne valde quidem verisimile est M. Fabium ad Camertes usque tum penetrasse, si inter hanc urbem silvamque Ciminiam quid sit intervalli consideres. Id quod Livius ipse sensisse videtur, utpote qui „usque ad Camertes Umbros penetrasse *dicuntur*" ait. Certe, si modo eo pervenerunt, Tuscae linguae notitia apud Camertes Fabio non multum profuerit.

234) Plin. H. N. III, 20: Ravenna Sabinorum oppidum. — Cui testimonio non repugnat, quod Strab. V. p. 214. Ravennam ab Umbris habitatam narrat.

trionem versus nunquam patuit. Itaque si illam Ravennae inter Sabinorum sedes mentionem cum Amiterni, in ipsis Picentium finibus jacentis, unde Sabinos profectos Aborigines expulisse Cato testatus erat, situ comparamus, mihi quidem conjectura haud improbabilis videtur, si quis statuat, Sabinos antiquitus inter ceteros Umbros circa Padi ostia habitasse, inde vero ab Etruscis expulsos per Picenum ad meridiem versus commigrasse, dum circa Reate novas sedes invenirent, alia inde Umbrorum gente expulsa. Cui migrationi potius quam seriori ex agro Sabino expeditioni vel Picentium Sabinam originem aliquis tribuerit.

Adhuc igitur Umbrorum a Padi inde planitie per Etruriam serioremque Umbriam ad Sabinorum usque terram sedes investigavimus, quas terras omnes antiqua gentis magnitudo simul amplexa videtur. Deinde quum in superiore Italia Etruscorum impetum diutius non ferrent, pars populi antiquis sedibus ejecta Latio quoque incolas dedit, Romanorum omniumque Latinorum avos. Sed multo latius per mediam inferioremque Italiam Tuscorum impetus Umbros effudit, si verum est, quod Niebuhrius suspicatus est, Oscos ejusdem fuisse stirpis atque Cascos, eadem ex caussa atque hos antiquis in Cascorum vicinia sedibus ejectos. Id quaerere utrum verum sit nec facile est nec breve. Ante omnia enim accurata Oscae cum Umbrica atque Latina lingua comparatione opus est, quam nobis quidem non in mente est nunc instituere, alii eam tempori reservaturi.

---

3 0112 126251328